

6.

N a c h r i c h t

über das

Königliche Pädagogium zu Halle.

Herausgegeben

von

Dr. G. Kramer,

Director des Königlichen Pädagogiums und der Franckeschen Stiftungen.

Achtzehnte Fortsetzung.

Inhalt:

- I. Q. Horatii Flacci Carminum lib. I. collatis scriptoribus Graecis illustrati specimen.
Ser. H. H. Gareke, Ph. Dr.
- II. Schulnachrichten über das Königliche Pädagogium, von Dr. G. Kramer.

H a l l e,

Druck der Waisenhaus-Buchdruckerei.

1853.

10

1711

1711

1711

1711

1711

1711

1711

1711

1711

1711



Q. Horatii Flacci

**Carminum libri primi collatis scriptoribus Graecis
illustrati**

Specimen.

Scipsit

Dr. Henr. Hermannus Garcke,

Regii Paedagogii Halensis Collega.



I n s u n t;

Prooemium

de Horatio Graecorum imitatore, pag. v — xxiv.

Interpretatio e Graecis fontibus ducta

Carminum 1. 3. 4. 7. 9. 12. 13. 14. 18. 35., pag. 1 — 36.

Excursus etymologicus

de Horatii personis amatoriiis, quarum nomina ex Graeco repetita vel ab ipso formata esse videantur, pag. 36 — 42.

Prooemium.

De Horatio Graecorum imitatore.

Si quid ego in Graecismo Horatiano, cultissimi poetæ horrido sane et inculto agello, tractando quod non male mihi cesserit profeci: summi viri Bernhardi est, quem grato animo confiteor mihi auctorem humanissimum et ad ingrediendam et ad suscipiendam rationem horum studiorum exstitisse. Huius enim censuræ recensionis Peerlkampii¹⁾ et editionis Orellianae²⁾ ut Germaniae decori sunt, ita Interpretibus Horatii pleni commentarii instar et veluti lucida quaedam sidera esse debent, utpote per tenebras micantia et rectas ac salutare vias longe lateque collustrantia: ad quae ego certe inceptum iam aliquot abhinc annis, sed intermissum interdum aut plane aberrantem hunc cursum direxi. Is igitur, quae vera vis et ratio poësis Augustanae esset, melius ac planius quam Interpretes edocuit, et postquam supra omnem dubitationis aleam constituit eam omnino arte factam et ex bona magna parte rhetoricam habendam esse, quae inde profecta sunt iuxta incommoda atque virtutes contra Peerlkampium acquisita lance et certissimo iudicio ponderavit et exaequavit.³⁾ Itaque cum vel in omnibus scriptoribus classicis et prudentibus plenam ac propriam interpretationem iustissime postulemus, tum in his ipsis aevi Augustani poetis summa lex interpretandi nos iubet ea semper inquirere et sequi, quae vim quandam afferant sermoni, ut eos quo quisque doctius ac prope dixerim artificiosius interpretetur, eo plerumque rectius intellecturus sit. Nec potest expectari ab Horatio praesertim, qui nulla re magis eiusdem aetatis poetas praecurrit quam iu-

1) Berl. Jahrb. f. wiss. Kritik. 1835 mensis Maii Nr. XCI. sqq.

2) Allgem. Literaturztg. 1837. Nov. Vol. III. Nr. 202 sq.

3) In censura Peerlkampii l. c. p. 750 sq. Cfr. eiusd. Hist. litt. Rom. ed. alt. p. 237 sq., et qui eius fere vestigia subsequutus est, Eichstadii Paradoxa Hor. (Jena 1836) VI. extr.

*

dicio⁴⁾), ut omnia ad unam eandemque regulam exegerit. Atqui is et poetae supparet, quum aut per audaciam nova quaedam protulerint⁵⁾), aut Graecorum exemplaria amplexi eorum et res et eloquendi artem transtulerint, longe maximam sane novellae huius praestantiae atque elegantiae partem Graecos imitandi studio sive Graecismo suo debent. In Graecismi ratione autem referendum est quidquid vel rerum e Graecia assumptum vel verbis ita enunciatum est, ut non plene ex sola natura atque consuetudine Latini sermonis pateat, sed veram suam vim et lucem ex comparatione demum analogiae Graecae accipiat⁶⁾). Huius igitur Graecismi, nisi fallor, in his artificiosae illius sectae poetis Latinis praecipua quoque ratio habenda est. Qui ut horum omnium et superiorum nonnullorum communis est, ita in singulis admodum varius atque adeo diversus apparet. Nam quum apud superiores poetas, Varronem Atacinum, Lucretium, Catullum, ipsumque Virgilium, qui primalia suis viribus tentarunt, simplex omnino et apertus sit, et plerumque sibi constet, ut quasi in puro et placido amni undique et commode conspici possit: apud Horatium iam multo exquisitior et reconditior est, ut deverticula eius et recessus indagare et excutere ipsumque, sicubi nactus fueris, velut alterum quendam Proteum multum versare atque adeo premere debeas, si quidem verum extorquere velis. Neque enim quisquam aequalium poetarum, ne Propertius quidem, „spiritu Graeciae tenui Camenae“ omnique doctrina transmarina atque adventicia tam plene et tam penitus imbutus fuit, quam Horatius. Plena sunt Satirae et Epodi, plena sunt Carmina, plena sunt Epistolae: sed ea nec prima ubique fronte intuentibus conspiciuntur, nec eadem usquequaque apud eundem inveniuntur.

Jam Sapphus exemplum proponam et cum Catulli et Lucretii et cum ipsius Horatii imitatione eiusdem odarii dulcissimi conferam,

Sapph. fr. 2. Schneidew.:

Φαίνεται⁷⁾ μοι κῆνος ἴσος θεῶν
ἔμμεν ἄνηρ, ὅστις ἐναντίος τοι

Catull. 51.:

Ille mi par esse deo videtur,
ille, si fas est, superare deos,

- 4) Bernh. in cens. Peerlk.: Horaz verdient, wie Lessing von sich selber gesteht, das Beste seiner Poesie einzig und allein der Kritik, deren Wirkung sich nicht obenhin auf die knappe fast symbolische Behandlung seines Stoffes erstreckt.
- 5) Quintil. X, 1, 96: Horatius — plenus est incunditatis et gratiae et varius figuris et verbis felicissime audax. Cfr. ipsum Hor. Epist. II, 1, 166.
- 6) Tam latis finibus Graecismi regionem ipse Horatius A. P. 46 sqq. alibi nobis circumscripsit.
- 7) Longinus de Sublim. c. 10. hoc ipsum poema prolatum ita enarrat, Stollio Anth. II. p. 13. interprete: „Ist es nicht bewunderungswürdig, wie die Dichterin Seele, Leib,

ἴβανει καὶ πλησίον ἀδὺ φωνεύ -
σας ὑπακούει

5. καὶ γελαίσας ἰμερόεν, τό μοι μὰν
καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν·
ὡς ἴδω γὰρ σε βροχέ', ὡς με φωνᾶς
οὐδὲν ἔτ' ἴκει·

ἀλλὰ καὶ μὲν γλώσσα Γέαγε, λεπτόν δ'
10. αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑπαδεδρόμακεν,
ὀππάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημ', ἐπιδόμο-
βεῦσι δ' ἀκουαί.

Ἐκ δὲ Φίδρωσ κακχέεται, τρόμος δὲ
πῦσαν ἀγρεῖ, χλωροτέρα δὲ ποίας
15. ἐμμί, τεθνάκην δ' ὀλίγω 'πιδεύην
φαίνομαι ἄλλα.

qui sedens adversus identidem te
spectat et audit

dulce ridentem, misero quod omnis
eripit sensus mihi; nam simul te,
Lesbia adspexi, nihil est super mi

Lingua sed torpet, tenuis sub artus
flamma demanat, sonitu suo
tintinant aures, gemina teguntur
lumina nocte.

Lucret. III, 155, Sapph. vs. 9. sqq.
ita imitatur:

Sudoresque ita palloremque existere toto
corpore, et infringi linguam vocemque aboriri,
caligare oculos, sonere auris, succidere artus.

Hinc igitur Horatius transtulit non solum dulce ridentem Lalagen,
dulce loquentem, sed etiam C. I, 13, 5. seqq.:

Tum nec mens mihi nec color
Certa sede manet, humor et in genas
Furtim labitur arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus:

in quibus vix verborum similitudinem deprehendas.

Ohr, Zunge, Auge und Farbe, alles, so verschieden es auch ist, zusammenfasst, und das Entgegengesetzte vereinigend, erkaltet und glüht, die Sinne verliert und wieder zur Besinnung kommt; sie zittert und ist dem Tode nahe, so dass nicht eine einzelne Leidenschaft, sondern ein Conflict von Leidenschaften (σύνδοσ παθῶν) zur Erscheinung kommt. "Alloquitur autem poetria vel potius mente videre sibi videtur puellam amatam. — vs. 2. ὠνήρ = ὀνήρ. — vs. 5. γελαίσας aeol. pro γελώσης (Ind. γέλαμι, P. γέλαις), ut per zeugma ex v. ὑπακούει eliciendum sit αἰσθάνεται, cf. Catull. — vs. 7. Ita Herm. ad normam illorum ὡς ἴδω, ὡς ἐμάνην, ut vidi, ut perii. Bergk. ὡς σε γὰρ Φίδω, βροχέως = βραχέως i. e. ἐν βραχέϊ, αὐτίκα. — vs. 10. ὑπαδεδρόμακεν = ὑποδεδράμηκεν (ὑποτρέχειν). — vs. 11. ὀππα = ὄμμα (ὄπτειν). — vs. 13. Ita Schneidew. cll. Hom. II. π, 109. Od. λ, 599: κατὰ δ' ἰδρῶσ ἔρρεεν ἐκ μελέων. Bergk. ἀ δὲ μ' ἴδρωσ κτλ. — v. 14. ἀγρεῖ = αἰρεῖ. — v. 15. τεθνάκην i. e. τεθνακέμεναι = τεθνηκέμεναι. — ὀλίγω 'πιδεύην, ut ὀλίγου δεῖν. — vs. 16. ἄλλα = ἄλλη i. q. ἡλετή.

Similem comparationem praebent Palinurus Virgilianus et Archytas Horatii, eodem, quod utriusque ingenii proprium est, discrimine, vid. ad C. I, 28. Et permulta alia et certissima plenae atque integrae imitationis Graecae exempla apud ceteros sane quos dixi poetas Latinos leguntur: apud Horatium vero nunc talia non exstant, et ne tum quidem, credo, exstarent, si omnia hodie quoque Graecorum lyricorum exemplaria restarent. Qua in re superiores Interpretes, Ianius⁸⁾ inprimis et Mitscherlichius, saepe ab vero aberrarunt, et ipse etiam Estreius falsus est, qui in Horatiana Prosopographia p. 524 censuerit, „inprimis multa Horatii carmina ex Graecis carminibus expressa fuisse, cuius rei exemplum Catullus reliquisset.“ Nam qui paulo accuratius in ea re versatus fuit, facile invenerit, non esse consuetudinis Horatianae integra Graecorum carmina imitatione exprimere et eadem sententiarum serie, nedum iisdem verbis, Latine reddere. Exordia carminum, unde initium dicendi et propositum sumat, et principales sententias, in conspicua plerumque sede, vel in principio vel in media parte vel in clausula collocatas, quibus carmina sua distinguat et doctos amicos moveat vel oblectet, a Graecis auctoribus repetere solet, ut multiplicem illum ac varium orationis ornatum, in quo vix dici potest quantopere e Graecis suis exemplaribus pendeat⁹⁾. Ut haec sibi iusta ac necessaria esse putavit, ita his fere finibus se continuit, vid. infra de Archilocho et Euripide et cfr. de Lyricis ad C. I, 1, 3 et I, 18, 1. Unde simul apparet, quam liberale ei in imitandis Graecorum poetarum carminibus fuerit studium, quantoque iudicio et arte illud aggressus sit, adeo ut non tam rerum ac verborum novitatem ac suavitatem ab aliis mutuatus esse, quam satis sibi ipse fisus et liberis vestigiis, ut vere gloriatur Epist. I, 19, 21, eos subsequutus ingenium suum, suas vires in iisdem argumentis tractandis experiri omninoque de palma cum illis ipsorum artibus certare voluisse videri debeat. At

8) „De poesi lyrica Horatii“, tom. I, p. 108: „In plurimis Horatii operibus apparet, eum Graecum poetam habuisse ante oculos, maxime in descriptione et inventione, quem imitando consequeretur, vel traderet adeo; fragmenta lyricorum Graecorum habemus fere CC, quorum amplius C in Horatio reperiuntur expressa. Si omnes lyriici Graeci adhuc exstarent, forte non multa manerent Horatio propria.“ Huius auctoritas fefellit etiam Mitscherlichium saepissime, v. ad C. I, 18. vs. 1 et 11.

9) Huc spectat Wenschii commentatio „de Horatii Graecos imitandi studio ac ratione brevis expositio“ (Viteb. 1829), cuius haec fere summa est: „Horatium et in metrorum ratione, ubi tamen severioribus usus est legibus, et in verborum structura, et in sententiarum adornatione saepe omnia debere Graecis, saepe vero iis discedere inferiorem.“

vero quum ipse ingenue professus esset C. IV, 2, 27. se „apis more modo- que ad carmina fingenda“ res omnemque apparatus undecunque conferre „per plurimum laborem,“ recte his moniti iam pridem Interpretes eos lo- cos investigare studuerunt, unde vates Venusinus „poetica sua mella“ con- quisivisset; nec ea res omnino iis frustra fuit: sat multa in sua horrea condide- runt. Sed quum multa alia opinionum ludibria, tum haec maxime eos ab vera via incunda averterunt et in transversum egerunt: quod et in Carminibus sententias imaginesque fere omnes ex melicis poetis translatas esse crediderunt, certis- sima quaeque Graecae imitationis vestigia una cum deperditis Graecorum exem- plaribus interciderunt opinati, et quod in Satiris et Epistolis certas quasdam phi- losophiae formulas explicatas esse statuerunt. Quorum illud idcirco minus recte putasse mihi videntur, quia proprium lyricae Horatianae habitum, senten- tiarum ornatum dico, nimium neglexerant, in hoc autem non satis attenderant, quid ipse Horatius de optimis philosophiae fontibus palam professus esset. Quod enim in epistola ad Lollium de Homero scripsit;

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,

Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit,

vel ex eo satis conficere possumus, illum non id egisse, ut philosophorum pla- citis abstrusioribus adumbratam, sed ut summis poetarum ingenis expressam vir- tutis imaginem consequeretur et eorum praeceptis se sapientiae doctorem et hu- manitatis conformaret.

Haec ita universe et summatim exposita nos ad ipsa eius „exemplaria Graeca“ perducunt, quae Pisones iubet *Nocturna versare manu, versare diurna.*

Ac ne ipsum quidem Horatium nisi iis auctoribus, quos imitandos sibi pro- posuisset, accuratissime lectis et cognitis, se ad scribendi studium contulisse, eo facilius nobis persuadere poterimus, si quo ordine poematum eius genera composita sint, consideraverimus. Nam quamquam in temporibus, quibus singula carmina Venusina nata sint, accuratius definiendis ii qui fastos Horatianos condiderunt dissentiant adhuc inter se, nec desunt quae etiam contra novissimas Caroli Frankii rationes¹⁰⁾ disputari possint: de generibus tamen hoc nunc constat, quod in hac quidem disquisitione plane sufficiat, Horatium primo conscripsisse Satiras et Epodos, post ad carmina melica aggressum tres priores libros condi- disse, his Epistolas libri prioris, quas eodem fere tempore composuisset, sub-

10) C. Franke *Fasti Horatiani*, Berol. 1839, de quibus v. C. Passovii (Berl. Jahrb. 1840. Nr. 87. sqq.) et Teuffelii (Zeitschr. f. Alt. 1842. p. 1103. sqq.) recensiones et passim Estreium.

iunxisse, postremo, interiecto quo Epistolam ad Pisones scripsit et longo post cetera intervallo, quarti libri Carmina et duo reliquos Epistolarum fasciculos addidisse. Quae quum constant, perspicuum debet esse, ut tria omnino poematum et tempora et genera, sic tres Graecae imitationis gradus et aetates commode discerni posse, quarum prima, ut ita dicam Archilochia s. satirica poetam iuvenem satiricae Musae armis instruxerit, altera s. melica corroboratum et senescentem paulatim virum feliciore semper profectu „laurea donaverit Apollinari“, tertia denique sive philosophiae actas totius vitae parnassiae quasi fructus et praemia collegerit¹¹⁾.

Sunt igitur primum imitationis spatium decurrenti, in Satiris et Epodis, quum ii qui ab ipso nominantur Sat. II, 3, 11:

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,

Eupolin, Archilochum, comites educere tantos? —

antiquae et novae comoediae scriptores¹²⁾ et „Socraticarum chartarum“ auctores imprimisque summus dialogi et *εἰρωνείας* magister Plato¹³⁾ et iamborum inventor

11) De Horatii studiis Graecis consulendi sunt Grotendendus in Vita Hor. (Hall. Encyklopädie 1833. p. 463 sqq.), Passovius in commentatione de Horatii vita et aetate conscripta et Epistolarum editioni (Lips. 1833) praemissa not. 181. 187. 195. 197. cet., Rotterus de Horatii studiis Graecis (Progr. Gleiwitz 1836), Th. Arnoldius in Diss. de Horat. Graecorum imitatore, (qui iuvenis priusquam ampliorem de eodem argumento librum absolvit, nuper praematura morte literis ereptus est) Estreius in „Horatiana Prosopographie“ p. 9 sqq. p. 122 sqq. alib.

12) Quanti Horatius inprimis „comoediae priscae viros“ fecerit, colliges praeter I. I. ex Sat. 1, 4, 1 sq., 1. 10. 18. sq., Epist. 1. 19. 1. Ad eorum potissimum imitationem sermones suos „in dialogo“ (Cic. ad Fam. 1. 9. 67.) conscripsit et metri quoque libertate atque indiligentia sermonis quotidiani consuetudinem et sonum felicissima arte expressit. Vid. Rotter. p. 14. Atque in Sat. 1. 2. principio memor fuit Aristophanis (*ἀγύρται, φαρμακοί, φαρμακοπῶλαι, βομολόχοι*, Nub. 749. 766. al.) eiusdemque Pac. 1140—1143 in Sat. II, 2. vss. 118 sqq. et 124 sqq. (vid. Bentley.), Sat. I, 3. 25 sq. autem ad Menandri, ap. Mein. p. 302: *Τί τᾶλλότριον, ἄνδρωπε βασκανώτατε, Κακὸν ὄξυδερχεῖς, τὸ δ᾽ίδιον παραβλέπεις*; et Sat. I, 1. 73—75 ad eiusdem exemplum p. 103. Mein. (vid. Orell.) videtur composuisse. Gratino quidem debuit Epist. I, 19. init., cl. eius fr. in *Ποτίνῃ*—qua ille fabula palmam eripuerat Aristophanis Nubibus—ap. Runkel. p. 81: *Οἶνος ποιητῆ γέγονεν ὡς ἵππος ταχὺς Ἵδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἄν τέκνοι σοφόν*, et sententiam Carm. III, 29. ell. ap. Suidam: *Ἄνδρας σοφοῦς ἐχρῆν τὸ παρὸν πράγμ᾽ εἰς δύναμιν θέσθαι καλῶς*. Alia nonnulla imitationis vestigia collegit Passov. not. 181.

13) Eundem commemorat S. II, 4. 3 cum magistro Socrate et cum Pythagora, philosophis praestantissimis, vocatque doctum Platona. Erant qui (ut Dacierius et Passovius

Archilochus¹⁴⁾ et alii nonnulli¹⁵⁾, tum longe gravissimi ei et omnis Graecitatis et sententiarum auctores Homerus et Euripides, nec in Satiris solum aut Epodis, sed iidem illi etiam in Carminibus sive in altero imitationis gradu.

not. 66) intelligere mallet Platonem Comicum. Ita vero epitheton doctum minus appositum foret; nec mirum est in academiae discipulo quod Platonem, in poeta quod solutae orationis scriptorem maxime poeticum legerit, quod idem Pisonum maiori ipse suadet A. P. 310: Scribendi recte sapere est et principium et fons:

Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae.

Atque Socraticum Platonem imitari videtur Lambino in Sat. I, 3, 38 sq., cl. celeberrimo de *ὑποκορίσμασιν* amatorum loco e Rep. IV. 29. p. 474. D., Bentlejo in Sat. II. 2. 77 sq. cl. Phaedon. p. 83. D., Wyttenbachio in C. I. 34. 8. cl. Phaedr. p. 246. E: *Ζεὺς ἐλαύνων πτηνὸν ἄρμα*. Cfr. Valcken. in Theocr. Adoniaz. p. 326.

- 14) A. P. 79 et Epist. I, 19, 23: — Parios ego primus iambos

Ostendi Latio, numeros animosque secutus

Archilochi, non res et agentia verba Lycamben

Libera hac Archilochi imitatione quam ipse sibi fisis esset, ante dixerat vs. 21: Libera per vacuum posui vestigia princeps, Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit, Dux regit examen. Ceterum plus quam notum erat *πικρόχολον* Archilochi *στόμα*, Br. Anthol. II. 167: — *ὅς ποτε πικρὸν*

Μοῦσαν ἐχιδναίῳ πρῶτος ἔβαψε χόλω. Cfr. v. c. fr. 28 sq. et 74 sq.

Schneidew. Huius igitur „animorum“ vehementiam, sed temperatam illam, et „carminis artem“ eamque immutatam assumpsit Horatius, singulis rebus et verbis spretis ipsique relictis. Quare ne Mitscherlichii quidem diligentiae contigit, ut ulla certa aut probabilia Archilochiae imitationis vestigia ex eius fragm. colligeret (veluti ad Epod. VI. extr. e fragm. 31. Schneid., et ad Epod. XVI. 34 e fr. 66. 7. sq.), nec vero ex Hipponacte, altero illo iamborum auctore (Epod. VI. 14.), quidquam reperitum est. In rebus metricis autem et musicis omnino plurimum Parii poetae ingenium valuit et auctoritas, cui Hor. quoque nec invitus obsequutus est. Vid. Exc. metr.

- 15) Ut Xenarchus comicus (ap. Athen. XIII. p. 596 B.) in Sat. I, 2, 83—85, 94—103, Isocrates orator (p. 37. lin. 52. ed. Wolf. ap. Muret. V. L. I. 5) in Sat. I, 3, 103 sqq., Xenophon Socraticus (Oec. I. 10) in Sat. II, 2, 104—107, Philodemus Epicureus (vid. Orell. ad Sat. II, 2, 92 et 120 sq.); e Tragicis Sophocles (cf. Sat. I, 9, 59 cum Electr. 945 Dind., Sat. II, 3, 187 sq. 104, 197 sqq. cum Aiac. 1047 sq. 1050. 1273 sqq., Sat. II, 5, 68 cum Phil. 283 sq., S. II, 6, 49. cum Oed. R. 1090 sq. aliaque cum aliis); ex Lyricis Anacreontis fr. 42. Schn. iam memor fuit in toto Epod. IV, Simonidis Cei fr. 34, 2 sqq. in Sat. II, 6, 95 sq., Pindari Nem. X. 61. B. in Sat. I, 2, 90, Bacchylidis fr. 10, 9 sq. in Epod. II. 4. sq. (cf. Tibull. I. 10, 49); ex Alexandrinis denique Callimachum (Epigr. 33. Ern. p. 302) in Sat. I, 2, 105—108 agnoscimus, et multis locis Theocritum, cuius Pharmaceutriam archetypon illud scenarum magicarum, sicut Virgilius Ecl. VIII. et Tibullus Eleg. II. 5, sic Horatius et saepius et manifestius secutus est: cf. vs. 14. et 28 seqq. cum Sat. I, 8, 30 seqq.,

Ut igitur Homeridae ab Iove incipiendum putarunt, sic nos rite ab Homero coepturi videmur in eodemque desinemus, totius antiquitatis consensu sedes summas occupanti. Neque enim Horatius ab hoc iudicio dissensit: Homerus est illi magnus (Sat. I, 10, 52), insignis (A. P. 401), qui nil molitur inepte (ib. 140) et principium tenet inter omnes (C. IV, 9, 5.). Sed praecipue eum hoc nomine laudat A. P. 73:

*Res gestae regumque ducumque et tristia bella,
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.*

Itaque ab illo fonte ingeniorum non tantum poeticae descriptionis modum legitimum et ornatum, sed vitae etiam praecepta repetiit (Epist. I, 2, 3. vid supra), quum non improbaret illam Stoicorum sententiam, doctrinam egregiam latere sub Homeri fabulis. Dispositionem inprimis carminum Homeri laudibus extulit (A. P. 148 seqq.) eiusque exemplum secutus hanc ipsam politam et concinnam *διασκευήν* suis versibus adhibuit. Homeri igitur imitationis vestigia apud Hor. quum per omnia carminum genera dispersa et propagata sint, nec usquam eam rem occultaverit, sed frequenter et dedita opera prae se tulerit, tum priora ipsius carmina melica ex ea potissimum pendent: C. I, 6. I, 15. I, 28. alia.¹⁶⁾

Praeter Homerum autem neminem libentius ac studiosius imitatus est quam Euripidem, sapientissimum illum et aureum¹⁷⁾ poetam, philosophum de scena, sed nimis neglectum ab Interpretibus Horatii: qui eius testimonia ore rotundo dicta, quo ipse limatior atque perfectior existit, eo magis et apertius sectatus est, ut haud sciam, an ille, quod quidem ad res attineat, primo omnium loco ponendus sit. Eum Horatius quamquam nunquam appellat nomine, re tamen frequentissime expressit, ut fecerat iam Cicero¹⁸⁾. Nam ex huius potissimum fabu-

vs. 15 sq. cum Epod. V. 61 sq., vs. 88 sqq. cum Epod. XVII, 21 sq., vs. 30 sq. cum Ep. XVII, 7; praeterea vs. 127 sq. c. G. III. 26, 6—8. ap. Bentl. et vs. 55 sq. c. A. P. extr.

16) Homericæ imitationis exempla tam innumera sunt, ut vel modica ex iis electio, si modo iusta esset, huius libelli angustias longe excederet. Sat vero bona copia eorum vel in Consp. locorum C. lib. I. collecta est.

17) Erg. Diphili: *Ἐὖ γ'ὁ κατὰ χρόνος εἶπε τοῦτ' Εὐριπίδης κτλ.*

18) Ipse quoque Cicero Euripidem, cuius sententiis eius scripta referta sunt, raro nominat, nec tam citat „vera eius praecepta“ (ad Div. 13, 15) vel „testimonia“ (ibid. 16, 8) quam gnaris amicis in memoriam revocat, ut saepe nil nisi initium proferat: Tusc. Q. III, 14, 29. (ell. Hor. C. II, 10, 13 sq. et Eurip. fr. Thes. 5.), ad Att. XV, 4 (Eur. Med. 411: *ἄνω ποταμῶν*, ell. Hor. C. I, 29, 10), de Fin. II, 32. ad Att. II, 25. al.

lis personas scenicas¹⁹⁾ et exempla petit ad praecepta sua firmanda²⁰⁾, et primarias Carminum sententias ab eodem mutuatur. Nec mirum hoc, quum et utriusque humanitas ac prudentia amice conspiraret²¹⁾, nec locupletior illo sententiarum auctor exstaret: quum praesertim illae vel ex proverbii Graecorum natae, vel ex clarissimorum virorum dictis haustae essent, vel ipsae mature in proverbiorum vim ac potestatem abiissent, vel omnibus certe mediocriter doctis plus quam notae essent. Itaque Horatius quod ad Grosphum scripsit C. II, 16, 29: Nihil est ab omni parte beatum, non sua sententia, quod putidum foret, doctum amicum monere voluit, sed Euripidis verbis optime ipsi quoque cognitis et acceptissimis. „Nosti, enim, ait, o Grosphe, quam vere ac sapienter dictum sit illud quod familiaris nobis poeta Euripides toties inculcat: οὐ τις ἀνδρῶν εἰς ἄπαντ' εὐδαίμωνεῖ²²⁾.“ Licet autem hoc loco ex magna illa ac prope dixerim prodiga coena, ad quam quasi Euripides Horatii amicos invitat, nunc paucula quaedam fercula apponere: quibus qui non saturati fuerint, vel ipsum dominum convivii saluent, vel Antonii Goebellii²³⁾ scriptiunculam adcant, qui et copiam et ordinem eius coenae scientissime monstravit. Quamquam quum ipse quoque compluribus iam abhinc annis, tum sane Goebelio non inspecto, sat multas Graeci poetae sententias collectas cum Horatio contulissem, nunc mirum consensum cum illo deprehendi. Quare hoc tanto certius mihi persuasi, eam rem non aleam, sed rationem aliquam necessariam sequi. Itaque iam nonnulla degustemus ex Euripide, quae collecta a me et Goebelio huic rationi et explicationi fidem addere possint. Sic universa Carm. I, 34. sententia ex Euripide fluxit, v. Bacch. 393 sqq. (cf. Heracl. 901 sqq.); itemque C. II, 9, celeberrimus in Bacchum hymnus, ex eadem fabula, sive spectata paulo ante sive relecta, totus compositus est, vid. vs. 874. 281. 723. sqq. 142. sq. 558. 605. 625. 569. 698 et 103. 378. 419., et in Epist. I, 16, 73 sqq. integra ex iisdem Bacchis 492 sqq. scena fere ad verbum Latine reddita legitur. Sic in Carm. IV, 7. ad Torquatum scripto com-

19) Sat. II, 3, 130—140: Orest. v. 264 sqq. D.; vs. 303: Bacch. 1214 sqq.; C. IV, 7, 25 sqq.: Hippl. 1437; vs. 27 sq.: fr. Pirith. 4.; Epist. I, 18, 43 sqq., ubi v. Orell. cet.

20) A. P. 95—98. 185—187.

21) Si philosophiam dicere malis, recentiorum vocabulo satis recte realismum appellareris. Vid. Hassii com. de Euripidis philosophia, Magd. 1843.

22) Frg. Alex. 3, Aug. fr. 9., Sthen. 1., et paulum variatum Med. 1228 et Iph. A. 161. Cfr. Philippiades comicus ap. Mein. et Aristoph. Ran. 1217, qui ipsum Euripidem eadem dicentem facit.

23) ap. Mützell. „Zeitschrift f. Gymnasialwesen“, 1851 p. 298 sqq.

plures et sententiae et personae Euripideae coniunctae continentur: cfr. vs. 7 sq. cum Eurip. fr. inc. 45 et Alc. 799, vs. 16 cum Mel. 20, vs. 17 cum Alc. 784 sq., vs. 21 sqq. cum Alc. 985²⁴); similisque ratio est Carm. II, 10. ad Licinium, et C. II, 16. ad Grosphum, et C. III, 29. ad Maecenatem, et Epist. I, 16. ad Quinctium scriptae. Sic exordia Carminum I, 34: Insanientis dum sapientiae, et II, 3: Aequam memento rebus in arduis Servare mentem cet., ut clausulae Carminum III, 2: Raro antecedentem scelestum Deseruit pede Poena claudo, et III, 23: immunis aram cet., et Epistolae I, 16: mors ultima linea rerum est, multaeque aliae ab Euripide ductae sunt: Bacch. 393 sq., fr. inc. 170., fr. inc. 2., Dan. fr. 12, El. 956²⁵). Sic quae de sera numinis vindicta et de Poena pede claudo accedente: Hor. C. III, 2, 26 — 30. cll. Eurip. El. 1350. Suppl. 224, Hor. ib. 32 cll. Eur. fr. inc. 2 et

24) Hor. ll. cc.:	Eurip. ll. cc.:
Immortalia ne speres, monet annus et alium	"Οντας δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεῶν.
Quae rapit hora diem.	Θνητὸς γὰρ ὢν καὶ θνητὰ πείσεται δόξει· Θεοῦ βίον ζῆν ἀξιοῖς ἄνθρωπος ὢν;
Nos ubi decidimus — — Pulvis et umbra sumus.	Κατθανῶν δὲ πᾶς ἀνὴρ Γῆ καὶ σκιά· τὸ μηδὲν εἰς οὐδὲν ἴκει.
Quis scit an adiciant hodiernae crastina summae Tempora Di superi?	Οὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἐξεπίσταται Τῆν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται.
Quum semel occideris, — — Non, Torquate, genus, non te facundia, non te Restituet pietas.	— οὐ γὰρ ἀνάξεις ποτ' ἐνερθεῖν Κλαίον τοὺς φθιμένους ἄνω. (Cfr. Alc. 1076 et Herc. f. 297.)
Sub finem autem carminis poetae auctorem suum ipse indicavit, quum tres personas scenicas Hippolytum, Theseum, Pirithoum ex eius fabulis citavit, vid. supra not. 19.	
25) Eurip. ll. cc.:	— ἡ Δίκη — — σῖγα καὶ βραδεῖ ποδι Στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς, ὅταν τύχη.
Τὸ σοφὸν δ' οὐ σοφία, Τὸ τε μὴ θνητὰ φρονεῖν.	— ἐγὼ δὲ πολλὰς σοφωτέρας Πέντας ἀνδρας εἰσορῶ τῶν πλουσίων.
Μηδ' ἐπιτόχημα μηδὲν ὠδ' ἔστω μέγα, "Ο σ' ἐξεπαίρη μετίζον ἢ χρεῶν φρονεῖν, Μηδ' ἂν τι συμβῆ δυσχερὲς, δουλοῦ πάλην, 'Αλλ' αὐτὸς ἀεὶ μίμνε; τῆν σαντοῦ φύσει	Καὶ θεοῦσι μικρὰ χειρὶ θύοντας τέλη Τῶν βουθυτούντων ὄντας εὐσεβεστέ- ρους.
Σώζων βεβαίως, ὥστε χροσὸς ἐν πυρὶ.	— — πρὶν ἂν πέλας Γραμμῆς ἴχεται καὶ τέλος κάμνη βίου.
Eademque mors Euripidi fr. 108, 4 est ὄρος κείμενος, unde finis illa destinata apud Horat. G. II, 18, 30, quae ratio fugit Orellium, ut perperam interpretaretur.	

Phrix. fr. 8 — et quae de divitiis tantummodo commodatis nullique propriis: Hor. S. II, 2, 129 — 135. cl. Eur. Ph. 557 sqq. fr. Aeol. 4. Alex. fr. 16 (*ἴδιον οὐδὲν ἔχομεν κτλ.*) — et quae de pauperiei opprobrio et de pecunia genus virtutem sapientiam omnia donante et de improbis divitiis: Hor. C. III, 24, 41. cl. Eur. Dan. 15, 8 (*κακός δ' ὁ μὴ ᾗων, οἱ δ' ἔχοντες ὀλβιοί*), Hor. Epist. I, 6, 38 sq. et Sat. II, 3, 94 sqq. cl. Eur. Arch. fr. 17 et 18 et Dan. fr. 12, Hor. C. III, 24, 62 cl. Eur. Alex. fr. 14 (*ἄδικον δ' ὁ πλοῦτος*) — et quae de virtute non tam natura donata quam doctrina paranda: Hor. Sat. I, 3, 113. cl. Eur. Aeol. fr. 2.; Hor. C. IV, 4, 29 sq. cl. Eurip. Alcm. 8 sq. (*ἔσθλων ἀπ' ἀνδρῶν ἐσθλά γίγνεσθαι τέκνα κτλ.*); Hor. ib. 33 sq. cl. Eur. Iph. A. 562 (*τροφαὶ θ' αἱ παιδευόμεναι Μέγα φέρουσιν εἰς ἀρετήν*). Hec. 599 sqq. Sup. 911 sqq. — et quae de summa et arbitraria deorum potestate: Hor. C. I, 34, 12 sqq. cl. Eur. Tel. fr. 25; Hor. C. III, 29, 50. Sat. II, 8, 62 cl. Eur. Heracl. 611 sqq. — et quae de incerta vitae humanae conditione: Hor. C. IV, 7, 17 sq. cl. Eur. Alc. 784 sq. — et quae de fruendi arte (Epist. I, 4, 7), quae ipsa quoque Horatio nova et adventicia est, quum potius „et facere et pati fortia Romanum sit“ (Liv. II, 12): Hor. C. I, 9, 13 sqq. cl. Eur. Alc. 788 — 791; Hor. C. I, 9, 14 sq. III, 8, 27. II, 16, 25. Epist. I, 11, 22 sq. C. III, 29, 42 sq. cl. Eur. Alc. 788 sq. Hip. 1115. Herc. f. 503 Sup. 953 sq. Bacch. 910 sq. (*τὸ δὲ καθ' ἡμᾶρ ὄρω βίοςτος Εὐδαίμων μακαρίζω*) — quaeque permulta alia plane singulari ac propria ratione ab Euripide praecepta apud Nostrum leguntur, illi gravissimo sententiarum auctori debentur. Quid quod Sat. II, 6, 90 seqq. mus urbanus haud irridiculo modo Euripideam sapientiam propinat agresti, ex Alcestide 780 — 790 petitam? Quid quod saepe ea ipsa, quae VV. DD. in Carminibus notanda et obelo damnanda putarunt, tanquam Horatio indigna, manifesto consilio expressa sunt ex Euripide, velut C. III, 4, 65 — 68 ex Temenid. fr. 11 et Hel. 903? ²⁶⁾ — Quibus omnibus quum nihil explicatius, nihil apertius esse possit, plerasque sententias Horatianas ex Euripide repetendas esse recte persuasisse mihi videor, idque tum praesertim, ubi cum continentibus laxiore vinculo cohaereant, aut ab ipso poeta per particulam explicativam enim introducantur, cuius haec vis est: „Nosti enim Graecum volgarem in hanc sententiam versum, cuius te hic meminisse velim ²⁷⁾.“

His proxime accedunt in Carminibus Lyrici, quorum ab Horatio commemorantur sex: Alcaeus, Sappho, Stesichorus, Anacreon, Simonides

26) *Ῥώμη δὲ γ' ἀμαθὴς πολλὰ κτεῖ βλάβην. — Μισοῖ γὰρ ὁ θεὸς τὴν βίαν.*

27) Sic enim fere Cicero de eodem Euripide: de Div. II, 5, 12. de Fin. II, 30. alibi.

Ceus, Pindarus, et praeter hos nonnulli etiam, qui ab ipso non nominantur: Alcman, Ibycus, Bacchylides; eorum autem omnium princeps est Alcaeus. Hunc cum Sapphōne, cive eius et aequali, saepius coniungit, eorum lyricum genus significans, quoties Lesboum barbiton (C. I, 1, 34; 32, 4), Lesbium plectrum (C. I, 26, 11), Lesbium pedem (C. IV, 6, 35), Aeolium carmen (C. IV, 3, 12) memorat. Iisdemque acceptum refert, quod de se ipso gloriatur C. IV, 3, 22: *Quod monstror digito praetereuntium*

Romanae fidicen lyrae

et C. III, 30, 13: *Dicar* — —

Princeps Aeolium carmen ad Italos

Deduxisse modos,

siquidem primus, pauca quum tentasset Catullus, melicam poesin ad Romanos transtulit et novam dictionem in ea excoluit. Sed Alcaeo omnino principem in suo genere locum defert Epist. II, 2, 99, et propter ipsius praestantiam, et quia Sapphus carmina imitatus iam fuerat Catullus²⁸). Haud „latent minaces Alcaei Camenae“ (C. IV, 9, 6), ut idem vel apud inferos „pugnans et exactos tyrannos aureo plectro dicere“ fingatur „plenius sonans“ quam Aeolia puella (C. II, 13, 26 sqq.) propter acres atque altos illos spiritus, quibus eius μέλη πολιτικά καὶ πολεμικά plena sunt, et redundant etiam eius ἔσματα συμποσιακά καὶ ἐρωτικά.²⁹) Hunc igitur, qui inter bella et negotia et labores tamen amorem cecinerit et vinum, imitari se dicit C. I, 32, 5 sqq., hunc magnum suum exemplum esse palam profitetur Epist. I, 19, 33:

Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus

Volgavi fidicen,

huic „modos et carminis artem“ debet in Carminibus, ut Archilocho in Epodis, ab hoc saepius ac libentius quam ab aliis lyricis initia carminum sumit, quae dilatando explicet, vid. ad C. I, 18, 1. Sapphus autem „amor spirat adhuc“ quodammodo in C. I, 12, 46. I, 13, 5. I, 32, 1. III, 12, 4. alibi. Alcaei minacibus graves easque Doricas adiunxit Stesichori Camenas (C. IV, 9, 8), qui et argumentorum et compositionis gravitate lyricum carmen ad epici fere maiestatem evexerat (Quintil. X, 1, 62). Verum in summa fragmentorum paucitate vix unum alte-

28) Praeter locum iam supra allatum cfr. Sapph. fr. 30. 39. 44, 4 sqq. et vs. 7 sq. 45. cum Catull. III, 6. XXV, init. LXII, 39 sqq. LXI, 91. LXII, init.

29) Dionysius Hal. V, 421. Rsk.: Ἀλκαίου σκόπει τὸ μεγαλοφρὲς καὶ βραχὺ καὶ ἡδὲ μετὰ δεινότητος — καὶ πρὸ πάντων τὸ τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἦθος. Adde Quintil. Inst. X, 1, 63. et cfr. cum eo spiritu v. c. Hor. G. I, 14. et I, 37.

rumve imitationis exemplum apud Horatium deprehendas. Meminit eius celeberrimae Palinodiae in Helenam Epod. XVII, 42., eodemque tanquam in exemplar respexisse videtur C. I, 16. Praeterea initium Carm. III, 4. congruit cum eius Fr. 18. ap. Schneidew., et quae in Epistola ad Fuscum (I, 10, 34) de equo legitur fabula, eidem tribuitur. Nam eam civibus suis narrasse Stesichorum, quum Phalaridem copiis suis praeficere vellent, tradit Aristoteles Rhet. II, 20.

Anacreontis autem amatoriam poesin delicatissimam quin magni fecerit Horatius ipseque imitatione saepe expresserit, non est quod dubitemus. C. IV, 9, 9:

Nec si quid olim lusit Anacreon

Delevit aetas.

Eiusque fides Teia (C. I, 17, 18) resonat etiam v. c. in C. I, 23, 1 sqq. cl. fr. 31., in C. I, 27, 1 sqq. cl. fr. 40, 7 sqq., in C. II, 5, 1 et III, 11, 9 sqq. cl. fr. 47. Schneidew.

Simonidis vero Cei, cuius Cae Camenae (C. IV, 9, 7) laudantur quique non in uno poesis genere multa cum laude versatus esse perhibetur, sententias splendidas quum alibi tum studiosissime in tertio libro sectatus est³⁰⁾.

Neque vero „Pindarici fontis expalluit haustus“, ut ait Epist. I, 3, 10., quamquam eo quidem loco aliter de se professus esse videtur, quum mireretur, quod ipse ausus non sit, ut illum aemularetur, id Titium tentare. Quod decepit Interpretes, ut largum illum fontem minus studiose adirent, quam antiquiores poetas melicos Graecorum. Verum interest aliquid, ut opinor, inter aemulationem et imitationem, et ipsum illud Carm. IV, 2., quo omnia Pindaricae poesis genera laudibus magnificis efferuntur, Pindarica prope sublimitate compositum est, ut C. I, 1. I, 12. I, 31. I, 35. alia. Vid. omnino ad C. I, 1, 3.

Ex iis autem Lyricis, quos ipse non nominavit, non ignoravit tamen Alcmanem, Doricae sive choricae poesis cultorem et antistitem, nec oblitus est Re-

30) Hor. C. III,	Sim. fr.
2, 14: Mors et fugacem persequitur virum.	51 Sch.: Ὁ δ' αὖ θάνατος κίχῃ καὶ τὸν φρογύμαχον.
2, 21 sq.: Virtus recludens immeritis mori Caelum negata tentat iter via.	83, 3: Οὐδὲ τεθναῖαι θανόντες, ἐπεὶ σφ' ἄρετι καθ' ἑπερθε Κυδαίνουσ' ἀνάγει δώματος ἐξ Ἄιδου.
2, 25: Est et fideli tuta silentio Merces.	52: Ἔστι καὶ σιγᾶς ἀκίνδυνον γέρας.
29, 47 sq.: (Juppiter non) Diffinget infectum- que reddet Quod fugiens semel hora vexit.	Τὸ γὰρ γεγεναμένον οὐκέτ' ἄρεκτον ἔσται.

De Simon. fr. 52. cl. Hor. l. c. et aliis accuratius exposuit Lobeck. Agl. p. 67.

gini Ibyci, „omnium flagrantissimi amore“, nec denique, si Scholiastis fides habenda, Bacchylidis, Simonidis Cei ex sorore filii, ut lyricum grammaticorum Alexandrinorum canonem totum complexus esse videatur³¹⁾.

Hi igitur quos dixi in Carminibus gravissimi sunt Horatio Graecitatis auctores, Homerus, Euripides, Lyrici: quibus iam e reliquis omnibus nonnulli addendi videntur in transitu. Ac primus quidem ex Epicis dignus est qui nominetur Hesiodus³²⁾, cuius „Ascraeum carmen“ non minus suspexit, quam Virgilius (G. II, 176).

Ex Elegiacis, a quibus, ut ipse quidem statuit A. P. 75:

Versibus impariter iunctis querimonia primum,

Post etiam inclusa est voti sententia compos,

Mimnermum omnesque antiquiores poetas, Ionicos dico, Callimacho et ceteris Alexandrinis praefert Horatius Epist. II, 2, 100 sq, in quo ipse sibi constat, qui ita iudicet Epist. II, 1, 28: — Graecorum sunt antiquissima quaeque Scripta vel optima. Quis tamen *Ἰωνητικὴν* illam elegiam primus condiderit et „emiserit auctor“, ipse decernere dubitat, „quum adhuc sub iudice lis sit“, sed perfectorem eius agnoscit Simonidem Ceum, varium illum et multiplicem et copiosum poetam, cuius Ceas naenias laudat C. II, 1, 38. Amatoriae autem elegiae auctor et exemplar ei est Mimnermus, ex quo principalem et propriam eius generis sententiam in medium profert Epist. I, 6, 65.³³⁾ Callini ac Tyrtaei *πρωτρεπτικὴν* illam, et *διδασκικὴν* Solonis ac Theognidis non memorat: sed Tyrtaeo quidem laudatissimam Carm. III, 2, 13. sententiam debuisse videtur³⁴⁾, et

31) De Alemane vid. ad C. I, 19, 1, ubi eius frgm. 17. Schn., et ad C. I, 30, 1, ubi eiusd. fr. 19. cum Hor. collatum est; Ibycum autem probabiter imitatus est in C. I, 25, 11: Thraecio bacchante magis vento Quum tibi flagrans amor et libido Saeviet circa iecur, ubi cetera Ibyciae imitationis vestigia collecta sunt; de Bacchylide dictum est ad C. I, 15, init.

32) Vid. Servium ad Virg. Ecl. VI, 42, et cfr. Hor. C. I, 3, 29 sqq. cum Hes. Opp. 100 sqq., C. I, 34, 12 sq. cum Opp. 5 sq.

33) Hor. I. 1.: Si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque Nil est iucundum, vivas in amore iocisque.

Mimn. fr. 1. Sch.: *Τίς δὲ βίος, τί δὲ τεργνὸν ἄτερο χειρῶν Ἀφροδίτης; Τεθναίνην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι.*

34) Hor. I. 1.: Dulce et decorum est pro patria mori.

Tyrt. fr. 7, 1. Sch.: *Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ἧ πατρίδι μαρτυρούμενον.*

Solonis mutuatus est Epist. I, 12, 5. ³⁵). Cum Theognidea autem sententiarum farragine multa sane Horatii dicta satis conveniunt, nec tamen potest non vehementer dubium esse, quin nullo loco illum imitatus sit, quum eadem fere omnia ab antiquioribus aut locupletioribus auctoribus repetenda videantur ³⁶).

Poetae Tragicici componuntur Thespis, Aeschylus, Sophocles Epist. II, 1, 162., vetus conditor ille traegodiae (A. P. 275) cum duobus perfectioribus. Quorum Sophoclem, quem alibi saepe et manifeste expressit ³⁷), mirum est quam raris et incertis vestigiis in primo Carminum libro secutus sit ³⁸), quum Aeschylum ³⁹) tamen saepius et saepissime, ut vidimus, Euripidem imitatus sit. Nec plura certiorave, quod vix mireris, ex Comicis imitationis vestigia reperiuntur in Carminibus ⁴⁰).

35) Hor. l. 1: Si ventri bene est, si lateri est pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius.

Sol. fr. 14, 1. Sch.: Ἴσόν τοι πλουτεῦσιν ὅτω πολὺς ἄγγυρός ἐστι
— — — — — , καὶ ᾧ μόνῃ ταῦτα πάρεστι,
Γαστρί τε καὶ πλευραῖς καὶ ποσὶν ἄβρὰ παθεῖν.

36) Sic Theogn. 973 sqq. Sch. conveniunt cum Hor. C. I, 4, 17 sqq., cf. tamen Sapph. fr. 69. Sch.; itemque Th. 1129 et 479 sq. c. Hor. C. I, 18, 5 et 7 sq., cf. tamen Eurip. B. 278 sqq. et Hom. Od. XXI, 293 sqq.; et Th. 1075 sqq. c. Hor. C. III, 29, 29 sq., cf. tamen Eurip. Alc. 801. D. et Pind. Ol. XII, 10 sq. B.

37) Exemptis ex Satiris supra allatis haec addo:

Hor. C. IV, 13, 8: Cupido virentis — Chia Pulcris excubat in genis.

Soph. Ant. 728. D.: Ἔρως, — Ὅς ἐν μαλακαῖς παρσιαῖς νεάνιδος ἐννεχεύεις.

Hor. Epist. I, 6, 24: Quidquid sub terra est, in apricum proferet actas,
Defodiet condetque nitentia.

Soph. Aj. 646. D.: Ἀπανθ' ὁ μακρὸς κἀναριθμητος χρόνος
Φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.

38) Vid. ad C. I, 8, 13. et I, 24, 19.

39) Vid. ad C. I, 3, 18 (Aesch. S. 696. D.), I, 3, 19 (Pers. 110 sq.), I, 28, 30 (Sup. 433 sqq.), I, 35, 11 (Pers. 162) et cf. ex aliis:

Hor. C. III, 4, 42: — Scimus ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco.

Aesch. Prom. 358: Ἄλλ' ἦλθεν αὐτῷ (Τυφῶνι) Ζηνὸς ἄγγυρνον βέλος,
Καταιβάτης κέρανὸς ἐκπνέων φλόγα κτλ.

40) Cfr. Aristoph. Pac. 1076. D. cum Hor. C. I, 33, 7 sq., Anaxilai fr. ap. Athen. 13, p. 558. c. Hor. C. I, 27, 19 sqq., Menand. Kol. p. 101. M. c. H. C. I, 31, 17 sq. aliaque nonnulla cum aliis, quae ex parte iam supra comprehendimus in not. 12.

Alexandrinis poetis, Callimacho Batti filio, Phileta Coo, ceteris Propertii atque Ovidii exemplaribus illis minus delectatum esse Horatium quam veteribus et praecipuis auctoribus, qui ante Alexandri M. tempora vixerunt⁴¹⁾, iam supra vidimus, nec tamen negari potest, eum illorum quoque vestigiis aliquando instituisse, quod etiam per se consentaneum est. Nam Latini huius ipsius aetatis poetae quum ad unum omnes Graecis studiis dediti et Alexandrinorum totius generis imitatores essent, videntur velut apes quaedam interdum etiam in longinqua pascua volitantes dulcissima quaeque mella cerasque miro artificio condidisse, Alexandrini vero ipsi quoque veterum Graecorum imitatores formicis simillimi, quae qualiacunque et undecunque sustulerunt grana in latibulis suis abscondunt. Horum igitur mella condita iam et parata ne Horatius quidem fastidivit, sed more modoque suo ubi digna viderentur in suas cellas transtulit, quamquam nec multa nec ita expressa, ut apud ceteros sunt. Atque ex Elegiacis quidem Callimachum, ex Epicis Apollonium, ex Bucolicis Theocritum et fortasse etiam Bionem ac Moschum, ex Epigrammaticis Archelaum aliquot locis in eius carminibus agnoscimus.⁴²⁾

41) i. e. „Klassiker“ vid. Sueton. Tib. 10.

42) Catullum quidem novimus Callimachi poemation de Coma Berenices versum de versu Latinis numeris reddidisse, itemque Ovidium magna ex parte eiusdem Ibidem ut multa alia, alia etiam Propertium, utrumque tamen non sine magna arte et delectu, Latinis suis versibus expressisse (vid. Valcken. in „Callim. Elegiarum fragm. cum Elegia Catulli Callimachea“ p. 282., Merkel. Praef. in Ovid. Fast. et in eiusd. Trist. et Ib., Hertz. in Quaest. Prop. p. 189 sqq.); Horatium vero, ut aequalium poetarum et elegantissimus erat et suo ipse ingenio plurimum valebat, per pauca suspicor ex Callimacheis ad suum usum convertisse atque in his ipsis imitandis suo semper usum iudicio. Valckenarius quidem haec contulit:

Hor. Sat. I, 2, 8: — avi cur atque parentis

Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem. cf. Epist. II, 1, 187.

Callim. fr. 10. V.: "Απνοα πάντ' ἐγένοντο παραχρῆμα· ὅσα τ' ὀδόντων
Ἐνδοθε, νειαίρην εἰς ἀχάριστον ἔδω.

Hor. C. I, 36, 14: Neu — Bassum Threicia vineat amystide.

Callim. fr. 11. V.: Καὶ γὰρ ὁ Θρηκίην μὲν ἀνήγατο χανδὸν ἄμυστιν
Ζωροποτεῖν· ὀλίγω δ' ἦδετο κισσὸν βίω.

Quibus adde Hor. I, 3, 1 sqq. ell. Call. fr. 114 Bl. Hor. Epist. I, 3, 10 sq. ell. Call. ep. I, 4., et quae supra in not. 15. collecta sunt. Ex Apollonio Arg. I, 22. infra contuli cum C. I, 24, 2 sq., ex Theocrito Id. XXII, 19 sqq. cum C. I, 12, 30 sqq. et cum C. IV, 8, 32 sq. alia, ex Bione Id. VII, 15 sqq. cum C. I, 8, 13 sqq., ex Moscho Id. VI, init. cum C. I, 33, 5 sqq., ex Archelao fr. in Anth. P. II, p. 661 cum C. I, 12, 57 sq.

In Epistolis denique, quibus nulla perfectiora aut maturiora ingenii monumenta fieri possunt, ut plurimas Graecorum literas ac doctrinas plane in succum et sanguinem conversas admiramur, ita perpauca imitationis vestigia deprehendimus. Quae quoniam eorum fere auctorum essent, qui supra dicti sunt praeter Lyricos, cum superioribus passim coniunxi. His unum alterumve scriptorem vel philosophiae vel didacticum vel grammaticum Alexandrinum adliciendum esse facile concedo. In Arte quidem Poetica cum praeceptis Horatianis sat multi loci ex Aristotelis libro *περὶ ποιητικῆς* et ex eiusdem Rhetoricis⁴³⁾, et insigne praeceptum Isocratis oratoris⁴⁴⁾ aliaque nonnulla comparari possunt, in eundemque librum, teste Porphyrione Scholiasta, „congressit praecepta Neoptolemi τοῦ Πατριανοῦ de arte poetica, non quidem omnia, sed eminentissima.“

Haec de Horatii exemplaribus Graecis praeponenda putavi non omnia quidem quae effundi possent, sed quae ex magna copia satis esse viderentur ad meam mihi viam muniendam. Iam vero, ut tandem in eo quod propositum est subsistam, primum Carminum librum separatim et dedita opera aggressus sum cum Graecis scriptoribus conferre et ex iis explicare, ut quo carminum eorum, quae Graeco fonte deducta videntur, longe plurima continerentur. Nam Horatius postquam initio sane Graecos paulo sollicitius expressit, inde a libro secundo Carminum omnia ad suum iudicium conformare coepit, in tertio et quarto Graeca non mutuatus est nisi ut Graecorum suavitatem locis aliquot adderet. Itaque ut praeclara artis opera nos interdum magis oblectare et acrius commovere solent, si non omnes partes aeque elaboratae aut sub una eademque plena ac perfecta luce propositae appareant, sed et umbrae aliquae sint nec desint leviusecula quaedam limae atque laboris indicia, quibus initia artis et incrementa agnoscere possimus; ita primitiae melicae artis Horatianae, quamquam non omnibus numeris absolutae sunt, tamen et cognitu iucundiores sunt, si cum posterioribus comparantur, et ita demum veram suam ac iustam lucem accipiunt, si Graecarum litterarum

43) Hic vel ea sufficiant quae Bentleius ad vs. 172 et Orellius ad vs. 73 sqq. 151. 163 sqq. 191. 194. 215. 338. adnotarunt.

44) Hor. A. P. 240: Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quisvis
Speret idem, sudet multum frustra que laboret
Ansus idem: tantum series innecturae pollet. Cf. Epist. II, 2, 124.

Isocr. Panath. Bek. p. 260: ἡγοῦμαι τοῖς ἤδη πολιὰς ἔχουσιν ἀρμόττειν, οὐκ ἐκείνων τὸν τρόπον λέγειν, ἀλλ' ὡς ἅπαντες μὲν ἂν ἐλπίζοιεν ἢ βουληθεῖεν, οὐδεις δ' ἂν δυνήθει ῥαδίως πλὴν τῶν πονεῖν ἐθελόντων καὶ σφόδρα προσεχόντων τὸν νοῦν.

lumen accedit. Quae interpretatio ut verissima est, ita cavendum est ne ad omnes minimas partes adhibeatur. Potuit enim Horatius iis exemplaribus omnino uti, neque tamen singula verba sententiasve colligere aut omnia anxie conservare: id quod ei in more fuisse iam supra vidimus. Sed quoniam hoc quoque vidimus, eam imitationem ab eodem per diversissimos locos dispersam fuisse, ut non de scripto sed ex memoria plerumque facta videatur, Graeca Horatii interpretatio eo diligentior esse debet, quo verius quasi dispersa disiectorum membrorum collectio vocari potest. Saepenumero mente potius quam oculis cernitur, insignem quandam Graeci scriptoris sententiam ab Horatio arreptam et pertractatam esse, ut in verbis quidem nulla admodum similitudo appareat, si tamen inventionem et totam artem paulo accuratius inspexeris, non possis dubitare, quin eam Graecorum studio debeat. Nec raro duorum auctorum sententias vel acute dicta vel duo pro- verbia in unum conflavit, quod imitatoris est.⁴⁵⁾

In hac igitur opera quum nihil antiquius habuerim quam ut explorarem, quaenam potissimum exemplaria Graeca et quonam modo Horatius imitatus esset: primum omnes locos, quotquot ex Graecis scriptoribus expressisse videbatur, con- gessi et in tripartitum certorum, probabilium, dubiorum ordinem digessi⁴⁶⁾. Primos enim eos proposui, quos certos s. manifestos dixerim: in quibus quidem aut ipse Horatius auctorem suum nominavit, aut imitationis vestigia ita aperte unicuique in oculos incurrunt, ut prope res ipsa loquatur. Tam expressa imita- tionis exempla perpauca apud Horatium exstant; in ceteris autem multas et ido- neas causas convenire necesse est, ut pro certo affirmari liceat, imitationem esse factam. Nec sola sufficit Scholiastarum et VV. DD. auctoritas, gravis sane per se nec contemnenda, sed in hoc quidem campo, ut vidimus, saepe lubrica; magna vero documenta sunt, si Horatius auctorem suum aliquo tamen modo significavit, si praesertim eius dictum vel statim ab initio tanquam splendidum exordium vel in conspicua sede ut primariam sententiam, superaddita interdum particula enim, collocavit, si plane singulare ac proprium Graeci alicuius auctoris vel dictum vel dicendi genus secutus est, si integram sententiarum seriem servavit, si eundem auctorem saepius vel in eodem argumento imitatus est. His et aliis rationibus

45) Complura id genus exempla collegi ad G. I, 28. extr., qui ipse locus (vs. 30—34) ex Hom. Od. XI, 66 seqq. et Aeschyl. Suppl. 433—437. D. probabiliter videtur compositus esse.

46) In his Fr. A. Wolfii fere rationibus obsecutus sum, quas ille proposuit in Praef. in Marcellianam extr. et in Oratt. IV. p. 31 sqq., ut verum et certum, verisimillimum, probabilem coniecturam, divinationem discerneret.

et argumentis ad caput imitationis perveniri potest. Quorum si plura eaque satis idonea ad persuadendum ita convenerint, ut de ipsa veritate non iam possimus dubitare: locos certos esse, si aliquot tamen nec spernendae rationes magnam nobis veritatis speciem obtulerint, etiamsi vestigia imitationis mente magis quam oculis cernantur, probabiles esse locos recte iudicabimus. Tertia denique classe comprehendi locos dubios, ubi animus inclinavit quidem ut Graecorum exemplaria Horatio obversata esse divinaret, nec tamen id aliis probabiter persuaderi potuit, sed rem dubiam esse ingenue confitendum fuit.

Deinde, quoniam Horatius in formando etiam orationis colore et in rebus multis se ad Graecorum imitationem composuit, his quoque rationibus providendum ratus interpretis munere functus sum, sed hac lege imposita, ut ea dumtaxat conquirerem quae aut ad dictionem Graecanicam aut ad res Graecas illustrandas necessaria esse viderentur. Atque in integris quidem verbis Graecis civitate Romana donandis severa censura usus est⁴⁷⁾, itemque in compositionibus verborum et in declinationum formis et in structuris ac figuris si quae Graeco fonte cecidissent non comprobavit nisi „parce detorta“ (A. P. 52 sq.)⁴⁸⁾. A qua summa lege sua ut nusquam descivit, ita in singulis dicendi generibus effingendis a solito atque inani formularum usu, quem Virgilius ceterique aliquando amplexi sunt, prorsus abhorruit, et in hac quoque parte „varius et felicissime audax“ fuit, id quod „callida verborum iunctura“ maxime consecutus est (Epist. II, 1, 166. A. P. 47.). Sed quoniam res grammaticae tum denique, quum sub uno veluti conspectu propositae sunt, recte existimari possunt, eae nec hic nos diutius retinere debent, nec in singulis Carminum locis ubique explicandae et retractandae, sed ad universa quaedam genera revocanda et generibus tanquam species exempla subiicienda fuerunt. Quare in Excursus reieci, ubi invicem sibi lucem donarent deberentque.⁴⁹⁾

Qui unus hac de ipsa re: „Q. Horatii Flacci carmina scriptorum Graecorum illustrata“, ab Henrico Wagnero compositus est libellus et eiusdem Orphanotro-

47) Vid. Sat. I, 10, 20—30. de Lucilio „Canusini more bilinguis“ locuto. Exempla ex Plauto, Lucilio, ipsoque Horatio congesta tibi commode suppeditabunt Passov. not. 141. Orell. ad l. c. Wetzel. Hor. Opp. Ind. Synt. p. 98. Passov. not. 181.

48) Bernh. in cens. Peerlk.: „Horazens Gräcismen treten nirgend allzu schroff und zum Nachtheil der Deutlichkeit (wie etwa beim Properz) hervor.“

49) Conspectum locorum Graecorum cum Horatio collatorum propter spatii temporisque angustias omissum esse nunc aegre fero, quoniam quodammodo huius qualis ea cunq̄ue est scriptiunculae summam continet. Item doleo accidisse, ut Excursus metricus et etymologicus alter et totus syntacticus typis exendi non possent,

phæi Halensis impensis anno 1770. et cum additamentis an. 1771. in lucem prodit, est opusculum multis partibus imperfectum et, ut nunc quidem tempora sunt, parum utile, — quamvis probatum olim Ch. A. Klotzio, qui ei præfatus est —, maxime quod eius auctor iusti iudicii firmitate caruit, quum etiam alia omnia quæ ad hoc propositum nihil pertinebant congresserit, multis necessariis plane omissis. Quo nomine graviter et vere reprehensus est in Wyt. Bibliotheca critica, ab ipso ni fallor Wyttenbachio, cuius familiaritatem ille frustra iactaverat (Addit. ad C. I, 34, 8).

Ex Horatii Interpretibus post Lambini, Ianii, Mitscherlichii aliorum industriam laboriosam nec tamen inutilem laetioris et nitidioris commentarii speciem præbet ed. Orelliana, quæ Horatii explicationem ex Graecis exemplaribus delibavit, minime absolvit. Accedunt Graecorum scriptorum Interpretes, e quibus non pauca Iacobsii, Schneidewini, Bergkii, Liebelii, Matthiae, Neui, Boeckhii, Stollii, Dindorfii diligentiae accepta refero⁵⁰). Nonnulla quæ ab illis relicta erant ipse collegi. Multa autem in hoc libello adhuc ommissa esse quæ omitti non debuerunt, multa vero inchoata minimeque perfecta inesse, quæ quasi primis labris degustavi, sat ipse equidem scio; at infinita suapte natura quaestio est et hoc initium tamen esse arbitror rei dignissimæ, quæ fortiorum virorum studia ac vires in se convertat. Interim hoc non egregiæ alicuius operæ in Horatio collocatæ specimen, verum probæ persuasionis ac bonæ voluntatis documentum exstare volui. Itaque hisce studiorum primitiis ut ab iis qui hæc legent æqua venia detur, summum in modum rogo.

quia infra sæpe brevitatis causa pro omni alia explicatione citati sunt. Quamquam totus libellus, cuius conspectum in extr. parte proposui, propediem impensis Orphanotrophei Halensis in lucem edetur.

- 50) Horum editiones, quæ infra sæpe per compendia literarum citantur, hæc sunt: Fr. Jacobs: Anthologia graeca ad fidem Cod. Palatini, Lips. 1813—17, Schneidewin: Delectus poet. Elegiacorum, Jambicorum, Melicorum, Gott. 1838—39, Bergk: Poetae Lyrici, Lips. 1843, Liebel: Archilochi Rel., Lips. 1818, Matthiae: Alcaei Rel., Lips. 1827, Neue: Sapphonis Fragm., Berol. 1827, Bergk: Anaereontis Rel., Lips. 1834, Boeckh: Pindari Opp. 3 Vol., Lips. 1811—21, Stoll: Anth. griech. Lyriker, Hann. 1851, Dindorf: Poetae Scenici Gr., Lips. 1830, ed. alt. 1853. Ubi nulla indicata sunt nomina editorum, Schneidewini et Dindorfii contextum versuumque descriptionem secutus sum.
-

Carm. I, 1.

V. 3 sq. *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse iuvat cet.]*
 Exemplum e Graecia sumtum vitio verti possit Horatio: excusatur, quod Pin-
 dari locus persimilis oculis eius obversabatur, a Sexto Empirico Pyrrh. Hy-
 poth. I, p. 23 nobis servatus, fragm. 242. B.:

Ἀλλοπόδων μὲν τιν' εὐφραίνουσιν ἵππων
 Τίμια καὶ στέφανοι, τοὺς δ' ἐν πολυχρότοις θαλάμοις βιοτά·¹⁾
 Τέρπεται δὲ καὶ τις ἐπ' οἴδμ' ἄλιον ναῦ θοῶν
 Σῶς διαστειβῶν.²⁾

Ex hoc iam loco, quem primus Rich. Bentleius, ni fallor, cum Horatio con-
 tulit, ultro etiam colligunt Interpretes, totum hoc carmen, quo itidem Hora-
 tius, ut Graecum poetam id fecisse probabile sit, volgaria atque diversa homi-
 num studia accuratius describat ac quodammodo percenseat, ut iis omnibus suas
 denique poetae lyrici vitae rationes opponat — easque et sibimet ipse et Mace-
 nati suo comprobet atque commendet — de Pindaro adumbratum esse. Haec
 est Mitscherlichii Orellii aliorum sententia. Est vero locus Pindaricus et splendi-
 dum exordium (vid. C. I, 18, 1) et veluti stamen quoddam, cui Horatius suum
 carmen tanquam subtemen intexuit, eaque ipsa re, quod statim ab initio Carminum
 sive Prologi loco hoc carmen posuit, simul et tacite significavit, Pindarum in-
 primis sibi in gravioris argumenti carminibus melicis exempli instar esse, quod
 rite consequi nulla quidem imitatio posset (C. IV, 2, 1), sed quod propositum
 tamen esset, in quod ipse intueretur utpote „Romanae fidicen Lyrae“ (vid.
 ad v. 29): sicut alibi, in amatorio et ludico poesis lyricae genere, se aper-
 tius et confidentius cum Alcaeo et Anacreonte comparavit. — Ceterum pulve-
 rem collegisse et metaque evitata rotis revocant in memoriam Ho-
 meri verba de certamine aurigarum, quod instituit Achilles in funere Patrocli,

1) i. e. in auratis conclavibus (in quibus habitatur, non thesauri asservantur) vita.

2) Perperam Rich. Bentleius διαστειβῶν correxit, quum etiam στειβεῖν (calcare viam,
 emetiri cursum) de navigantibus dicatur. Boeckh.

II. XXIII, 372: οἱ δ' ἐπέοντο κονίοντες πεδίοιο, et Nestoris praeceptum ibid. v. 340: λίθον (i. e. καμπτήρος s. νύσσης, metae) δ' ἀλέσθαι ἐπαυρεῖν (Lambin.). Item Simonides in Epinicio, fr. 7. Schneidew. p. 381: Κονία δὲ παρὰ τροχὸν μεταμώνιος ¹⁾ ἀέροθη (Orelli). Cfr. etiam Theocr. XXIV, 117 sq.

Sunt quos — iuvat] Sunt qui, εἶσιν οἷ ac potius ἔστιν οἷ (Bernh. Synt. Gr. p. 417. Prop. III, 9, 17: est quibus concurrat palma.) est loquendi formula Graecanica eaque iunctim et ὑγ' ἐν accipienda, qua significatur pars hominum neque ea prorsus mediocris: „Manche, ein Theil“. Pind. l. l. „μέν τινα“: manch Einen, ut infra vs. 19: est qui spernit. Vide Bentl. ad h. l., Heusinger. ad Vechneri Hellenol. p. 538 sqq. et Exc. IV, append.: ubi etiam de modo indicativo dicitur.

— *pulverem Olympicum*] Adiectivorum hypallage Latinorum poesi cum Graeca communis fuit, sed imprimis invaluit apud poetas huius ipsius aetatis Augustanae, qui se ad Alexandrinorum normam composuerant, ut haud spernendum artificium poeticae, quam vocant, descriptionis. Sic h. l. prosae orationis scriptor coniunxisset curriculo Olympico; sed non imprudenti consilio adiectivum cum notione secundaria copulavit Horatius. Solet enim ipse quoque quos dixi Graecos secutus adiectiva in eum locum orationis transferre, ubi totius rei actio clarior appareat: unde vis quaedam acuta et perspicuitas existit. Cfr. C. I, 3, 40. I, 6, 14. I, 20, 9. I, 31, 9. I, 37, 6. III, 16, 34. III, 21, 19 sq. Epist. II, 1, 177. et Voigtii mei Prog. Hal. Reg. Paedag. 1844. p. 27 sqq. De Graecis, imprimis tragicis, poetis vid. Bernhardt. Synt. Gr. p. 426. et Unger. de Valg. p. 54 sq. Sic iam apud Homerum II. V, 741: Γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου. Eurip. Troad. I: Αἰγαῖον ἄλμυρόν βάθος πόντου. Pind. N. VI, 55. B.: Ἀχιλλεύς — ἐνάριξεν ἀκμῇ ἔγχυος ζυγότοιο. Nonnus 47, 584: ποταμοῦ Πακτώλιον ὕδωρ. Id. 48, 241: σφυρὰ Λίνδυμια πέτρης. Cfr. Callim. fr. 202 al. De supparibus poetis Latinorum et posterioribus rerum scriptoribus vid. Hertzberg. in Prop. III, 21, 28 et IV, 8, 23. Fabri in Liv. XXI, 11, 8. quibus addo Virg. A. II, 576. Ovid. A. A. III, 330. Trist. II, 364.

Denique de infinitivi collegisse usu, quem vix Graecanicum esse dicas, vid. Exc. IV, 4. Veritas utique: Manche entzückt der Gedanke, auf Olympias Rennbahn wirbelnden Staub aufgeregt zu haben, und dass mit brausenden Rädern das Mahl glücklich gemieden sei.

1) Primaria vocis significatione: „ἀπό τοῦ μετὰ τῶν ἀνέμων ἵεσαι, ἀνεμοφόρητος“. Schol.

v. 4 sq. *palmaque nobilis Terrarum dominos evehit ad deos*] Pleni commentarii instar est Pindari, nimium neglecti ab Horatii Interpretibus, locus Nem. V, 75 sq. (41. B.):

Τὸ δ' Αἰγίνα θεοῦ, Εὐθύμενες, Νίκας ἐν ἀγκώνεσσι πιτνῶν ποικίλων ἔφρασας ὕμνων.
 Quo in loco eadem inest, quae apud Horatium, sententia haec: Graecis hominibus victoriam ludis sollemnibus deportatam felicitatis fastigium fuisse, quo paene ad deorum immortalium conditionem erecti sibi viderentur, idque potissimum poetarum praeconiis iis contigisse. Nam „Tu vero, Euthymenes; Aeginae Victoriae deae in amplexus ruisti“, sive „ipsa dea Victoria te amplexa est“, splendide sane dictum est pro eo quod simpliciter dicendum erat: „Tu victoriam Aeginae tulisti“: sed consulto tamen et ita quidem dictum est, ut quasi divinitas eius victoriae indicata sit, quam prope divini ac sempiterni nobilium hymnorum honores consequerentur. Cfr. C. IV, 2, 17. Non dubito, quin Horatius vel ad hunc ipsum vel ad alium similem locum respexerit Pindari, a quo victoriam Olympicam mutuatus esset. — Ceterum palma, teste Livio X, 47, certo quodam tempore addita est coronae oleagineae: quarum haec capiti victoris Olympici imponebatur, illa in dexteram dabatur: de quo Pausan. VIII, 48, 2. dixit quantum satis est, si Horatii auctoritas non sufficiat. Vide Boeckh. in Pind. fr. 45. p. 578.

v. 8. *certat tollere*] ut vs. 11: gaudentem findere, vs. 20: demere spernit, vs. 34: refugit tendere, vid. Exc. IV, 4. Tergeminis honoribus autem casus sextus est, non dativus Graecanicus Lübkeri: „Wenn mit dreifachen Ehren zu erhöhen kämpft, wetteifert“. Contra C. I, 35. Fortuna vertit funeribus triumphos, ἀνατρέπει, καταβάλλει. Cfr. Tac. Ann. I, 3.

v. 11. *findere sarculo*] Conferri potest Solonis locus similis de diversis hominum studiis, Eleg. fr. 11, v. 47 sq. Schneidew.: Ἄλλος γῆν τέμνων πολυδένδρον εἰς ἐναντιὸν λατρεύει, τοῖσιν καμπύλ' ἄροτρα μέλει. (Wagn.) Ceterum ἄρουραν τέμνειν, διατηρῆσθαι ἀρότρω pervulgatum, ut opinor, genus loquendi fuit: Apoll. Rh. I, 628. 1215. alibi.

v. 14. *secet mare*] πέλαγος μέσον τέμνειν, Hom. Od. III, 174; Ἰονίαν τέμνων θάλασσαν, Pind. P. III, 119; τέμνεθ' ἄλος στενωπὸν, Apoll. II, 333. Wagn.

v. 15. *Luctantem Icaris fluctibus Africum*] „In animo forte habuit Hom. II, II, 144: Κινήθη δ' ἀγορῆ, ὡς κύματα μικρὰ θαλάσσης Πόντου Ἰκαρίοιο, τὰ μὲν τ' Εὐρὸς τε Νότος τε Ὠροῶ“. Mitscherl. Cfr. C. I, 9, 11. — *Luctantem fluctibus*] Dativus ad exemplum Graeci verbi μάχεσθαι, ut infra vs. 24: lituo permixtus, et vs. 30: me diis miscent. Vid. Exc. IV, 2.

v. 16 sq. *otium et oppidi Laudat tuta sui*] Si Acidalii coniectura tuta cum Bentleio et Bernhardyo probanda, haec non tantum per Hellenismum, de quo vid. Lambin. ad C. IV, 12, 19. Heusing. ad Vechn. Hell. 208. Bernhardt. Synt. Gr. p. 156. Exc. IV, 3, sed etiam per ἐν διὰ δυοῖν intelligenda sunt, ita ut genitivus oppidi sui non minus ad tuta, quam ad otium pertineat: das gefahrlose Stilleben in seiner Vaterstadt. Cfr. C. II, 16, init.

v. 18. *indocilis pati*] ἀδίδακτος φέρειν, vid. Exc. IV, 4.

v. 21 sq. *nunc viridi membra sub arbuto Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae*] Moschus Id. V, 11 sq.:

Αὐτὰρ ἐμοὶ γλυκὺς ὕπνος ἐπὶ πλατάνῳ βαθυφύλλῳ

Καὶ παγᾶς γιλέοιμι τὸν ἐγγυθεν ἤχον ἀκούειν. Cruq.

Imitatio num facta sit, res dubia, cfr. tamen v. 30 sq. et Epist. II, 2, 77. — *membra stratus*] Graecismus omnium poetarum Latinorum tam communis, ut accusativum Graecum vocent. Madv. Gr. Lat. §. 237. c. not. 2. et Erc. IV, I. Itemque infra vs. 24: „bella matribus detestata“ est dativus Graecanicus, et poetis et prosariis scriptoribus perquam familiaris; sed est quod inter utrumque usum differat, vid. Madv. §. 250. Zpt. 419. Cfr. infra v. 27. Epod. 16, 8. Epist. I, 19, 3.

v. 25. *Manet sub Iove frigido*] i. e. pernoctat sub divo, ἐπὶ Διός. Ζεὺς omnibus certe Graecis est ὁ δέτιος καὶ ὁ ἀθῆριος ἢ ἀθήριος (Poll. Onom. I, 24. ibique Kühn.): sed hoc tamen ex docta ac potius scitula Empedoclis ¹⁾ eademque Stoicorum ²⁾ doctrina dictum puta, qua poetae Graecorum et saepius etiam Latini eorum imitatores Iovem ponunt, ubi caelum vel caelestes motus aëris volunt intelligi. Vide Euripidis et Emmii locos apud Cic. de N. D. II, 25. et Theocr. Id. IV, 43. et Nic. Heinsii Adv. I, 17. p. 181 sq. Sic Horatius C. I, 16, 12. I, 22, 20. III, 10, 7. Epod. 10, 3. et Virgilius Ecl. 7, 60. Aen. IX, 670 al. — De venatorum laboribus cf. Hom. Od. IX, 120 sq.

v. 29. *Me doctarum hederæ præmia frontium*] Doctus plane ut Graecè σοφός, h. e. dichterisch. Solon. I. I. Ἄλλος Ὀλυμπιάδων Μουσέων πᾶρα δῶρα διδάσκεις, Ἱμερῆς σοφίης μέτρον ἐπιστάμενος. Item σοφία de poesi Callim. ep. 8, 4. δαῖδοι σοφοί, Id. ep. 50, 4. et σοφισταὶ Pind. I. V, 28. B. de poetis. Hederas autem dixit, quum ad Pindarum, exemplar suum, respexisset. Alii enim carminum generi alia est apta corona, veluti hederæ dithyrambico generi, vid. Cionfan. in Ovid. Trist. I, 7, 2. p. 479.

1) Cui Zevis erat „ἀπὸ διός“, vid. eius fragm. ap. Sextum Emp. adv. Math. I, 302.

2) Vid. Schoemann in Cic. De N. D. p. 11 et p. 97 sq.

v. 34. *barbiton*] Forma Graeca accus. generis masc., vid. C. I, 32, 4.

v. 35. *Sublimi feriam sidera vertice*] „Prorsus sic Sappho Frg. 9. N.: *Ψάειν δὲ [πόλον] δοκεῖ μοι ὠρανῶ δυσπάχεια*“. Orelli. Verum quum de summa gloriae felicitate plane usitatum ac, prope dixerim, contritum sit Graecis loquendi genus: *τοῦ οὐρανοῦ τῇ κεφαλῇ ψάειν δοκεῖ* — cuius exempla conguessit Boissonadius ad Aristaen. I, 11. extr. —: minime pro certo affirmare ausim, ad Sappho potissimum Horatium respexisse, quum praesertim, ut nihil dicam de incerta coniectura *ψάειν πόλον*¹⁾, ne de hac ipsa quidem, de qua agitur, eius loci sententia constet. Libentius utique in verbis sublimi vertice, h. e. *μετέωρος*, de Pindaro cogitarem, quoniam Horatius saepius a quo exordium cepit in eodem auctore desinit (C. I, 18, 16): si quidem similis illius locus mihi praesto esset, vel si illud ipsum *μετέωρος* hodie apud illum exstaret. Qui enim ipsa gloria elatus et supra humanum gradum euectus ad sortem divinam videtur ascendere, eum hominem Graeci translato vocis usu *μετέωρον* (hocherhaben) et, qui talia affectat, eundem *μετεωρίζεσθαι* vel *μετέωρα φρονεῖν* (hochhinauswollen) dicere solent. Vid. Pollucis Onom. IX, 147. et Lucian. Icarom. 11. Hermot. c. 5. Gallin. c. 23. ubi Menke et Hemsterh. consulendi. Prop. III, 1, 9: Quo me Fama levat terra sublimis.

Carm. I, 3.

Argumenti dispositio et pertractatio Orellio haec fere esse videtur: „Amantissime quum Virgilio suo tranquillam ac periculis liberam optasset navigationem — qua in re sola totius carminis vertitur cardo —, secutus Graecum aliquod exemplar nondum Latinae poësi accommodatum, in illam primi nautae omnisque mortalium temeritatis execrationem, lyrico impetu abreptus, huius tamen affectus semper et summus artifex et sibi constans rector prorupit; eoque magis in maris periculis et describendis et detestandis immoratus est, quod de amico, quem nunquam postea vidit, si non aegrotanti, at saltem viribus iam imminutis timebat“. Quod igitur ille putat, Horatium e Graeco aliquo exemplari nobis ignoto extrema carminis lineamenta descripsisse, id ita credibile esse videtur, ut in hoc carmine scribendo fortasse ad Callimachi exemplum, fragm. 114. Blomf.:

1) *Πόλον* emendavit Neue; libri ov. Longe alio modo locum restituit Bergk. fr. 15. p. 604: *Ψάειν δ' ἔπει' οὐδ' ὀκνημι ὠρανῶ δυσπάχεια*. Quae quo iure ita correxerit, ipsi relinquendum est; sed hoc mihi tenendum videtur, magnam adhuc de eo fragmento controversiam esse. Schneidewinus plane omisit.

Ἄ ναῦς, ἃ τὸ μόνον φέγγος εἶναι τὸ γλυκὺ τῆς ζωῆς
 Ἀρπαξας, ποτὶ τὴν Ζανὸς ἰκνεῦμαι λιμενοσκόπω.

respexerit, ut navis illa C. I, 14., prima certe conceptione, non Romana est, sed Alcaei poetae, ut Archytas est Homericus Elpenor itemque Nereus vaticinans eiusdem Proteus. Sed praeter formam huius exempli, quam leviter effluxit, et exordium inde deductum vix quicquam aliud Alexandrino poetae debuit. Vide omnino ad C. I, 18. Nec cardo rei in votis pro Virgilio nuncupandis, sed in sententiis deinceps depromendis vertitur¹⁾, ut temporis rationem, de qua subtilius disputavit Franke in fastis Horat. p. 64 sqq., plane omittam.

v. 1. *Sic te regat — : reddas, precor*] Ut multas ex argumentandi formulis (Vechn. Hellenel. p. 426 sqq.), sic hanc quoque in obtestationibus propriam Graecis debere videntur Latini. Ita enim illi οὔτως (i. e. ἐπὶ τούτῳ, ἔπειτα) cum optativo, adiuncto plerumque imperativo, usurpant. Lucil. in Anal. Br. II, p. 322, 25: Οὔτω σοι — ταῦτα γένοιτο πάντα, δὲς δὲ κτλ., vel inverso ordine Aristoph. Eccl. 916: Ἀλλ', ὦ μαῖ', ἴκετεύω, κἀλεῖ τὸν Ὀρθαγόραν, οὔτω σωτῆς κατόναι. Itaque proprie explicandum est: ea lege te regat — ut reddas: das sei die Bedingung, wenn dich leiten sollen, dass du Schiff den Virgil mir unversehrt entläss'st, nach Italien zurückbringst. Cfr. C. I, 28, 25. et vid. Lamb. ad h. l. Heindorf. ad S. II, 3, 300. Voigt. Progr. Hal. Reg. Paedag. a. 1844. p. 50.

— *diva potens Cyprî*] Graece Κύπρον κρατοῦσα, μεδέουσα. Muret. Cfr. Pind. fr. 87. B.: Ὡ Κύπρον δέσποινα. Ceterum de Venere marina s. Εὐπλοίῳ, Ποντίῳ cogitandum, quae, quum ipsa primitus ἀφροδίτη, ἀναδυομένη esset (Ovid. Her. XIX, 160), in pluribus civitatibus Graeciae, imprimis maritimis, ut Cnidiorum (Pausan. I, 1, 4), Hermionensium (Id. II, 34, 193) ipsorumque Cypriorum tanquam dea tutelarum rei navigatorum colebatur. Vid. Mitsch. et cf. C. III, 26, 3.

v. 2. *fratres Helenae, lucida sidera*] Nautae Graeci Dioscuros cum ipsa Helena colebant tanquam proprios deos tutelares suos et praesentissimum auxilium, vid. Eurip. Orest. 1689 sq. Eam ob causam cum Apolline ceterisque diis ἀλεξικάκοις a Graecis ἀνακτες vel σωτῆρες nuncupabantur: sed praecipue id nomen Tyndaridis tribuebatur, ὃς πάντες σωτῆρας ὀνομάζουσι, Strab. V, 232; et Kühn. ad Pollucis Onom. I, 24: σωτῆρες nautas e periculis naufragii eripie-

1) Bernhardt. in cens. Orell.: „Die Wünsche für den reisenden Virgil deuten bloss den Vordergrund eines Gemäldes an, dessen wahrer Bestand in den Reflexionen über menschliche Leidenschaft und selbst verschuldetes Unglück ruht“.

bant. Itaque ubi terror ingruerat, ubi res foeda et abominanda oculis animisque oblata erat, hos una cum ceteris malorum depulsoribus invocabant: ὦ Ἡράκλεις, ὦ Πᾶνες, ὦ Κορύβαντες, ὦ Λιοκόρω, Aristoph. Eccl. 1069. Hic igitur beneficentissimis numinibus astrologi Geminorum signum assignant: quae Horatius h. l. „lucida sidera“ et C. IV, 8, 32. „clarum Tyndaridas sidus“ itemque Propertius in similis argumenti carmine (I, 17, 18) „optatos Tyndaridas“ dixerunt ¹⁾).

v. 3. *Ventorumque regat pater, Obstrictis aliis*] Torrentius Cruquius alique iam notarunt, Horatium in animo habuisse illud Homeri Od. X, 20 sq. de Aeolo:

Ἐνθα δὲ βυκτίων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα·

Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων. Wagn.

Cf. infra v. 16.

v. 8. *animae dimidium meae*] Ita Virgilium suum appellat Graecorum suavitate. Nam his *φιλία ἐστὶ μία ψυχῆ ἐν δυοῖν σώμασιν*. Hinc celebratum illud *ἤμισύ μιν ψυχῆς ἤρπασε*, Meleag. in Anth. Pal. II, 464. et Callim. ep. 43. ap. Mitsch. ell. C. II, 17, 5.

v. 9 sqq. *Ille robur et aes triplex Circa pectus erat, qui sqq.*] Graeci *σιδηρόφρονα* (Aeschyl. Prom. 242) vel *χαλκεοκάρδιον* (Theocr. XIII, 5) vocant, Homeri (II. X, 357. XXIII, 357. XXIV, 205) Hesiodique (Theog. 764) exemplum secuti, ad quod et Pindarus respexit, cuius afferunt fragm. 88, 3. B.: *ἔξ ἀδάμαντος Ἡὲ σιδάρου κεφάλκεται μέλαιναν καρδίαν κτλ.* Sed propius ad Horatium accedit Aristophanis illud in Ranis 1049, etsi in ridiculum conversum: *πνέοντας — θυμὸς ἐπταβοσείους*, in quo comparatio animi cum clypeo facta videtur, testaturque Servius Fabricii Horatiana sumpta esse ex Alcaeo ²⁾): cuius quae verba fuerint, nunc divinare non possumus. Sed fortasse imaginem, qua Horatius duritiam animi depingere voluerit, secundum Aristophanis locum sic assequamur: Der Mann muss einen Schild von Steineichenholz und dreifachem Erz um die Brust getragen haben, der zuerst das gebrechliche Floss dem trotzigem Meer anvertraute, h. e. demta ex parte imagine: Der Mann muss einen kernhaften, ehernen, jeder Furcht unzugänglichen Sinn besessen haben, der u. s. w.

1) Haec pleraque accuratissimae Lobeckii doctrinae, Aglaoph. p. 1230 sqq. accepta refero.

2) Eo refert Schneidewinus lacera verba fragm. 79: *Κάπιπλεύειν νάυσσιν*.

v. 12. *praecipitem Africum*] h. e. desuper et magno impetu irruentem, frequentata Graecis poetis imagine, qua venti de coelo ruere — *άνεμοι ύπερ-αιεϊς, ύψιπεται, αϊθρηγενεϊς* ap. Hom., Pind., Apoll. Rh., vid. Mitsch. — dicuntur, idemque ventus apud Homerum Il. II, 147. dicitur venire *λάβρος επαιγίζων*, quod Aeschyl. Sept. 63. dicit *καταιγίζειν*.

v. 13. *Decertantem Aquilonibus*] Dat. ad exemplum Graeci verbi *μάχσθαι*, vid. Exc. IV, 2. — De re cfr. C. I, 9, 11.

v. 16. *tollere seu ponere volt freta*] Haec quoque ex Homero expressit, qui de Aeolo l. l. ita pergit dicere: *ήμην πανέμεναι ήδ' όρνύμεν όν κέθέ-λησιν*. Cfr. Virg. A. I, 67. Ponit autem Notus freta, quia venti, post flatum vicissim leniter aspirantes, a Graecis mare tempestate concitatum sedare dicuntur. Sicut enim somnus corpora animantium constringit, constricta solvit (*ύπνος άνέηκε*), sic vento tribuitur *τό όρνύναι και τό παύειν, τό άναστέλλειν και τό ύποστέλλειν, τό επάίρειν και τό ύφιέναι*, quia undae vel vela, nisi ventus esset, non intenderentur omnino: ita ut illud ponere h. l. seiunctum a continentibus absonum foret. Quare Horatius prudenti consilio Homeri de Aeolo versum inverso ordine ad ipsum ventum transtulit. Vid. Lobeck ad Soph. Ai. 674. Ed. alt. et cfr. Virg. Ecl. II, 26. Aen. IV, 5.

v. 17. *Quem mortis timuit gradum*] Mortis gradus, si dicendi genus spectatur, comparari potest cum solita Graecorum dictione *τέλος θανάτοιο*: sin ipsa sententia respicitur, nullus mortis gradus (Stufe) proprie dictum idem fere est quod ne fastigium quidem mortis, ut sit „nunquam in animum induxit ille mortem vel atrocissimam recusare“. Nam reliquae mortes aliquo modo cum veterum institutis componi poterant, mors autem in undis longe miserrima putabatur iam inde ab Homero poeta, quia ibi humatio cum iustis religiosis locum habere non poterat. Cfr. C. I, 28, init. Hanc interpretationem sententia necessario efflagitat; infra demum „Letum corripuens gradum“ personam induit, ut *Θάνατος* in Euripidis Alcestide et idem Letum ap. Virg. Aen. VI, 277.

v. 18. *Qui siccis oculis — vidit*] Hoc Horatius, Bernhardyo indice ¹⁾, scripsisse videtur secundum Aeschyl. Sept. 693. Blomf.: *ξηροϊς άκλαιύστοις όμμασιν*: ubi item notio inest mentis rigidissimae, furiae, quae numquam flecti possit in lacrimas. Nam *ξηρά όμματα* s. sicci oculi primum tribuuntur ei homini, qui dudum destitit a lacrimando; deinde ei qui alienissimus est a sensu suaviore et humaniore: est igitur homo, qui numquam potuerit lacrimas fundere. Cfr. ProPERT. I, 17, 11 sqq. Ita magnus Bentleius et Horatius optime conciliantur.

v. 19.

1) In cens. rec. Peerlk.: „nach Aeschylus Sept. 681. (693. B.) gearbeitet.“

v. 19. *Qui vidit mare turgidum*] Confert Wagnerus Hesiod. Th. 106: πόντος — οἴδαμι θῦον, et v. 131: πέλαγος — οἴδαμι θῦον, sed propius accedit illud Aeschylus Pers. 108: Ἐμαθον δ' εὐρυπόροιο θαλάσσης Πολιαιομένας πνεύματι λάβρω Ἐσοῶν πόντιον ἄλλος: qui locus haud scio an Horatio observatus fuerit. Nam vidit prorsus est ἔμαθεν ἔσοῶν i. e. sustinuit ¹⁾, et mare turgidum Aeschylus ornatius descripsit: „Neptunium pratum vasti maris, violento impetu venti spumis incanescens“. Eadem metaphora Cicero in Arateis usus dixit: „Neptunia prata secantes“, et θάλασσαν πολιαιομένην imitatus est Catullus 61, 13: „Tortaque remigio spumis incanuit unda“. Quidni igitur credibile sit, eodem Horatium respexisse in eodem simili?

v. 25. *Audax omnia perpeti*] γένος τὸ δεινὸν πάντα τλῆναι i. e. πάντολμον. Sic Aeschylus Ag. 208. Herm. Agamemnoni ac potius omnibus mortalibus attribuit τὸ παντόλμον φρονεῖν, sic Pindarus fragm. 5. B. Herculi dedit τὸ πάντολμον σθένος, h. e. robur quidvis audens s. „audax omnia perpeti“.

v. 26. *ruit per vetitum nefas*] Per dictum est ut διὰ δίκης ἵέναι, βαίνειν (Soph. Ant. 738. Eur. O. 1361) „Es stürzt in den Abgrund, eilt ins Verderben auf dem Wege (mittelst) verbotenen Unrechts“. Cfr. Sat. I, 4, 30 sq.

v. 27. *Iapeti genus*] „Abkömmling des J.“ est Graecorum γένος (Hom. Od. XIV, 204. Eurip. Cycl. 104. Bacch. 986.) sive τροφή et τροφαί (Soph. O. R. I.). Cfr. Catull. 61, 2. et Heindorf. ad S. I, 6, 12. (Valeri genus). De re monet Servius ad Virg. Ecl. VI, 42: „Prometheus post factos a se homines dicitur caelum ascendisse et adhibita ferula ad rotam Solis ignem furatus esse, quem hominibus indicavit“, secundum Hesiod. Ἐρ. 50 sqq., quem ipse citat (vid. infra vs. 30), et Aeschyl. Prom. 8 sqq.

v. 28. *fraude mala*] κακῆ ἀπάτη, κακῶ δόλω, Hom. II. II, 114. IV, 339. Illud „mala“ autem ἠθικῶς dictum puta i. e. ad mores Promethei notandos. Frequentissimus est in hoc usu Graecanico Terentius: quo pertinent apud eum dativi, qui vocantur ethici, mihi, tibi al. Vid. Bernh. Synt. Gr. p. 84. et Vechn. Hellenol. I, 2, 6. p. 175 sqq. In hac igitur oratione morata non ignobile est Graecis vocabulum κακός, Latinis imitatoribus malus et improbus, quibus adiectis mali alicuius notio nobis moveatur. Nos qui iam longissime a simplicibus veterum moribus remoti sumus, talia facile supervacua esse

1) Vide Blomf. in Gloss. ad vs. 115.

opinamur, adeoque vix satis assequi possumus. Fortasse dixeris schlim, arg, heillos. Plura suppeditabit Heindorf. ad S. I, 1, 77. (malos fures).

v. 30 sq. *macies et nova febrium Terris incubuit cohors*] Horatium in his Hesiodum et Sappho potissimum secutum esse docet Servii nota ad l. l.: „Ob Promethei furtum irati Dii duo mala immiserunt terris, febres, maciem et morbos, sicut et Sappho et Hesiodus (*Eq.* 100 sq.) memorant:

Ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάτται·

Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

Quod tangit et Horatius dicens: Post ignem cet.“ Hesiodeis addas, quae deinceps sequuntur:

Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρη ἢ δ' ἐπὶ νυκτὶ

Ἀυτόματοι φοιτῶσι κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι.

Sapphus locus, quem Servius non protulit, nunc deperditus est. Ceterum quod Graeci *σμήνος* s. *ἔσμον κακῶν*, νόσων eleganter dicunt, eam nova ratione dixit Horatius cohortem. Nam ante eum nemo hoc nomen cohortis tali translatione usurpavit, quum in ea re agmen vulgarius esset; nos similiter „Schwarm“. Vid. Blomf. ad Aeschyl. Pers. 133. et Schoene ad Eurip. Bacch. 705. et cfr. C. I, 35, 31.

v. 32. *necessitas Leti*] est Homeri *μοῖρα θανάτιο*, quam Eurip. Hipp. 1388. *Αἴδου ἀνάγκη* vocat. (Mitsch.).

v. 34. *vacuum aëra*] nove dictum prorsus ut Graecum *ἔρημος*. Verum iam vidit Muretus, Pindari loco prolato ex Ol. I, 6: *ἐρήμας δὲ αἰθέρος*: „durch die öde, die haltlose Luft, die keine Stütze bietet“. Item Virg. G. III, 109.

v. 36. *Herculeus labor*] est dictio celebratissima et illustris figura Graecorum, qua primum intelligitur ipse Hercules, deinde eius laboriosa vita cogitatur. Quod enim Graeci poetae constanti usu „βίη *Ἡρακλεΐη*“ (Hom. Il. XI, 690. Od. XI, 601 alibi), „ἴς *Ἡρακλῆος*“ (Hes. Th. 950), „βίη et σθένος *Ἡρακλέος*“ (Pind. O. XI, 26. fr. 5. B.) pro ipsa persona dixerunt, id Horatius paululum variavit: „Es drang über den Acheron der ausduldende, mühevollte Herkules“. Sic prorsus hic locus explicandus videtur. Nam sordet et languet oratio, si omnia transferimus ad facinus: „Labor s. facinus Herculis periculum penetravit usque ad Ach.“ Ut h. l. Peerlkampium, sic C. I, 23, 6. Bentleyium deceptit idem Hellenismus, de quo vid. Bernhardt. Synt. Gr. p. 52. Sic Propertium maxime et Virgilium constat more Graecorum usurpasse substantiva abstracta pro adiectivis, nec pauca id genus apud Horatium leguntur. Permulta

exempla congesserunt Vechnerus in Hellenol. II, 8 et Lambinus ad Hor. C. III, 5, 13.

v. 37. *Nil mortalibus arduum est*] Eleganter reddidit Graecorum proverbium ὡς οὐδὲν μερόπεσσιν ἀμήχανον. (Muret.). Hinc patet, id quod tota sententia confirmatur, verba ita coniungenda esse, ut arduum praedicati vicem sustineat. Quo quidem ipso conficitur, hanc unam lectionem arduum probari posse.

v. 40. *Iracunda fulmina*] Eadem hypallage adiectivi Pindarus non de Iovis quidem telo, ut Orellius opinatur, sed de Achillis hasta usus est Nem. VI, 55. B.: Ἀχιλλεύς — φαινής νιδὸν εὐτ' ἐνάριξεν Ἀοῦς ἀκμῆ Ἐγχεος ζακότοιο. Vid. ad C. I, 1, 3.

Carm. I, 4.

Argumentum carminis vere Romanum est, non ex Graecis haustum, siquidem statim ab initio de Palilibus ¹⁾ dicit, ad quae vs. 11. Faunus pertinet, eaque coniungit deinde cum Veneris festis diebus, quos vere incipiente „Latiae matresque nurusque“ cum pervigiliis illius deae agitabant ²⁾: sed Graecae doctrinae velut flosculis quibusdam idem satis exornavit. Nam Graecas notiones et metaphoras in eo sane plures deprehendas: unde tamen cavendum est, ne cum Mitscherlichio temere conicias, „Graecum Horatio ante oculos fuisse exemplum, velut Siculi alicuius poetae, qui forte Aetnae aestuantis imaginem in veris descriptione memorasset“. Eo nulla ducunt vestigia, abhorretque ista, Alexandrinorum puta, ratio prorsus a consuetudine Horatiana.

v. 2. *Trahuntque machinae carinas*] Proprium in re navali verbum deducere commutavit Horatius cum verbo trahendi ad Graecum ἔλκειν, καθέλκειν accommodato, velut Anth. Pal. II, p. 284: κελύδροις Ὀλκὰς ἀπ' ἠϊόνων ἐς βυθὸν ἐλκομένη. Dillenb.

v. 5 sq. *Iam Cytherea choros ducit etc.*] Ad sententiam illustrandam apposite conferunt Fragm. τῶν Κυπρίων ³⁾ ap. Athen. 15. p. 682, ubi idem chorus a Venere in Idam montem deducitur: Νύμφαι καὶ Χάριτες, ἅμα δὲ χρυσῆ

1) Palilia, Palis deae sollemnia, mense Aprili (d. xxi.) celebrabantur et pastores transiliendo ardentes stipulae acervos lustrabantur. Vid. Tibull. I, 1, 35. Ovid. Fast. IV, 727 sqq.

2) Ovid. Fast. IV, 123 sqq. Cfr. Lobeck. Aglaoph. p. 651. adn. o.

3) Τὰ Κύπρια ἔπη, quae Herodotus II, 117. novit, sed ab Homero quidem abiudicat, nunc Stasino Cyprio antiquissimo poetae cyclico tribuuntur, eorumque pars fuisse perhibetur Homericus ille Hymnus in Venerem.

Ἀφροδίτη, Καλὸν αἰδουσαι κατ' ὄρος πολυπιδάκου Ἴδης, et ex Hom. Hymn. in Apoll. v. 194 sqq.:

Αὐτὰρ ἔϋπλόκαμοι Χάριτες καὶ ἔϋφρονες Ὀραι
Ἄρμονίη θ' Ἥβη τε Διὸς θυγάτηρ τ' Ἀφροδίτη
ὄρχευντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῶ χεῖρας ἔχουσαι.

Cytherea Venus, Κυθήρεια Ἀφροδίτη, sic iunctim hodie rarissime, et inter Graecos Romanosque apud recentiores dumtaxat invenitur, ut apud Musaeum v. 32 et Arnobium IV, 24: sed quum referant Grammatici in epithetis Ἀφροδίτης etiam illud κυθήρεια, et simile certe sit in Hymno Homero in Venerem I: Ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης Κύπριδος, vel apud Theogn. 1386: Κυπρογενὲς Κυθήρεια: eam iuncturam Critici, iudice Ruhnkenio in Epist. Crit. I. p. 51, falso suspectam habuisse videntur. Ceterum de vocis Κυθήρεια originatione varia veteribus excogitata sunt inepte, vid. Muetzell. de Em. Theog. Hesiod. p. 420.

v. 6. *Iunctaeque Nymphis Gratiae*] Συζυγίαι Νύμφαις Χάριτες: quae sic proprie συζυγίαι s. nexu suavi copulatae vocantur ab Euripide in Hipp. 1147. — *Gratiae decentes*] Fulvius Ursinus comparat Sapph. fr. 50 Neue: Ἀεῦτε νῦν, ἄβραὶ Χάριτες κτλ. Hinc ipsa Venus I, 18. decens (χαρίεσσα) est, quum comites eius sint „decentes Gratiae“ (anmuthig, liebreizend).

v. 7. *Alterno terram quatiant pede*] Callim. Hymn. in Del. 306: Αἰ δὲ ποδὶ πλήσσουσι χορίτιδες ἀσφαλὲς οὐδας. Wagner.

— *Cyclopum*] Iovi fulmina cudunt, non Homerici quidem, sed Hesiodici illi, Caeli et Terrae filii, Theog. 140:

Βρόντης τε Στερόπης τε καὶ Ἄργης δβρομόθυμος,
οἷ Ζηνὶ βροντὴν τ' ἔδοσαν τεῦξάν τε κεραιόν.

Cfr. Apoll. Argon. I, 728.

v. 8. *urit officinas*] Est prorsus Graecorum φλέγει, ἐπιφλέγει. Eurip. Troad. 308: φῶς φέρε, — φλέγω λαμπάσι τόδ' ἱερόν h. e. ignem propere affer, facibus hoc templum collustrabo. Cfr. eiusd. Phoen. 258, ubi Valcken., et Aeschyl. Sept. 509, ubi Blomf. et Abresch. consulendi sunt, et Bernhardy. Synt. Gr. p. 110 et 342 ibique adnot. 3. Simile est Virgilianum illud adolere aram, flammis adolere penates (in Opferdampf versetzen). Vid. Huschk. Anal. crit. p. 339. Sic h. l. Vulcanus, Veneris maritus laboriosus operisque sui studio ardens (Virg. A. I, 423), graves Cyclopum officinas urit, i. e. replet flammis, ita ut splendeant: „er setzt der Cyklopen dumpferdröhnende Werkstätten in Feuer und Flammen“.

v. 9. *caput impedire myrto*] Hoc est: caput corona myrtea eaque satis copiosa, tamquam mole aliqua, vincire: „reichlich umwinden.“ Est prorsus Graecanica ratio, non Romana, *πυκάζεισθαι στεφάνοις* sub dei adventum¹⁾. De verbo *πυκάζειν* vid. Blomf. Gloss. ad Aeschyl. Sept. 137, et Eurip. Alc. 812 ibique Wuestem., de re autem Schoene ad Eurip. Bacch. p. 5 et ad vs. 108 sqq. et eiusdem libell. de personarum in Eurip. Bacch. habitu scenico c. IX sq.

v. 13 sq. *Mors pulsat pede*] Ex communi Graecorum opinione intelligendum: Fores concutiuntur et aperiuntur, quoniam adventante deo omnia contremiscunt et patefactum aditum praebent. Ita Mors h. l. deus est tam formidabilis, ut ei contremiscant fores et aperiantur nulloque impedimento ipse intrare possit. Callimachi locum Hym. in Apoll. 3:

Καὶ δὴ που τὰ θύρετρα καλῶ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει

Horatio admovit iam doctissimus Heinrich. Obs. in Auctt. Vet. P. I. p. 24. Cfr. praeterea Theocr. II, 6 et eiusdem Idyllii v. 160. Quod autem dixit „aequo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres“, solitas in hac re Graecorum phrases respexit. Sic enim loquuntur illi: *κοινὸς ἕδης, κοινὸς θάνατος*. Pindarus N. VII, 30. B.: *ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται Κῦμ' Αἴδα*: paulo ante dixerat v. 19: *ἀφνεὸς πενιχρὸς τε θάνατον πάρα Θάμὰ νέονται*, h. e. „Sed communis venit fluctus Orci; dives pauperque ad mortem una tendunt“: unde huius loci sententia Lambino expressa videtur. Equidem non repugno, verum in re tam communi nihil certi liceat affirmare. Et eodem iure haec ex Euripidis Alc. v. 798 repetere possum, ubi Hercules iterum iterumque inculcat illud: *βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται* (cf. A. P. 63), deinde hanc subiungit sententiam vs. 815: *ὄντας δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεῶν*: quae certe magis respondent iis, quae iam sequuntur.

v. 15. *Vilae summa brevis spem nos vetat inchoare longam*] Nam spes longa eadem est, quae sera, longinqua, quae in longinquum extenditur, Graecorum *εὐρεῖται, μακρὰ ἑλλπίδες* (v. Bentl. ad A. P. 172), eandemque sententiam C. IV, 7, 7 ita scripsit Hor.: „Immortalia ne speres“, in his procul dubio secutus Euripidem.

1) Ita memini Magnum Bernhardy quondam, quum Seminarii philologici exercitationes moderaretur, interpretari, cui etiam in sequentibus Graecanicam illam verbi pulsat et fabularum Manium explicationem debeo, ut optima quaeque in primis hisce carminibus eidem auctori gravissimo accepta refero.

v. 16. *premet nox*] Homericum illud *ξεβενῆ νυκτὶ καλύπτειν* (II. XIII, 425). Alibi Graeci mortem vocant *μακρὰν νύκτα*, „perennem noctem“, (Anth. Gr. I, p. 213). — *Fabulaeque Manes*] Sunt Manes, de quibus multa iactant et confabulantur homines in utramque partem, ut neutris contingat aut tollere aut confirmare eos: sunt *πολύμυθοι, πολυθρόλλητοι*. Is homo qui argumentum fabulae vel sermonis fit, recte dicitur fabula (Epod. 11, 8) vel sermo, vid. Nic. Heins. ad Ovid. Amor. I, 33, 36 et Oudendorp. ad Appul. Metam. II. p. 119: sed in eo Horatius a consuetudine Latini sermonis recessit, quod licentia quadam lyrica primus ausus est pluralem numerum (fabulae) ita ponere ad exemplum Graecorum: *μῦθοι, λόγοι, ἀνθρώπων γάιεις*, vid. Interpretes ad Eurip. Hipp. 197, ad Callim. epigr. 14, 3, ad Pind. P. III, 112. B. Veritas igitur: „und die Fabelgebilde, die Manen“.

v. 17. *domus exilis Plutonia*] Poeta quum in antecedentibus fabulas Manes memoravisset, vix mihi dubitandum videtur, quin iam in iis, quae excipiunt illa, domum exilem Plutonium de propria Umbrarum sede, de Orco intellexerit, Graecorum persuasionem secutus, non de parvulo et pauperulo sepulcro — quae ipsorum Romanorum opinio erat putantium animas defunctas versari iuxta sepulcra¹⁾. Domus Plutonia est igitur prorsus Homericum illud *δόμος Ἰδῶς, δῶμ' Ἰδαο;* quae quoniam repleta est umbris exilibus, h. e. corpore nervis sanguine carentibus, ipsa quoque exilis recte vocari potest. Res notissima ex Homeri Necyia v. 219: *οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὄσπεα ἴνες ἔχουσιν*. Hinc *νεκῶν ἀμενηνὰ κάρηνα — σκιῇ εἴκελα ἦ καὶ ὀνειρώ* (Od. X, 536. XI, 207) et *ἀμαυροὶ νέκυες*, Sapph. loco iam laudando.

— *quo simul mearis etc.*] Si ad Graecum ullum exemplum spectavit, certe non Theognidis vs. 973 sqq. fuit, ab Orellio citati, sed fortasse Sapphus fragmentum, 19. Neue., 69. Schneidew. p. 315, hoc:

*Κατθανοῖσα δὲ²⁾ κείσαι οὐδ' ἔτι τις νυμαμόσυνα σέθεν
ἔσσει' οὐδέποι' εἰς ὕστερον' οὐ γὰρ πεδέχεις βρόδων³⁾*

1) Qua sepulcri et inferorum confusione apud veteres poetas, Romanos praesertim, nihil frequentius est, sed mire tamen res Interpretes turbavit. Vid. Hertzberg. ad Prop. IV, 11, 1 et eiusd. libell. de Diis Patriis I, 1. p. 6.

2) Opponuntur haec praegressis, quorum haec fere fuerit sententia: „Ut nunc fortunata habere, at mortua iacebis oblivione obruta“ Schn. Alloquitur autem poetria mulierem musica arte non eruditam et suae laudi vitaeque fortasse obtrectantem, quasi ea nunc ipsum adsit. Hinc praesens tempus *πεδέχεις*, i. e. *μετέχεις*, explicandum.

3) i. e. *ρόδων*.

τῶν ἐκ Πιερίας, ἀλλ' ἀφανῆς κῆν Λίδα δόμοις
φοιτάσεις πεδ' ἀμαυρῶν νεκύων ἐκπεποταμένα ¹⁾).

v. 19. *tenerum Lycidan*] Vid. Exc. II. —

v. 20. *tepebunt*] *Teperere viro est Graecum θάλπεσθαι, ἐνθάλπεσθαι ἔρωτι, de verecundo amore puellarum, quae rubore tantum atque sinu leniter percusso et palpitante amorem suum ostendunt: „dem bald auch der Jungfrauen Busen warm sich hebend entgegenschlagen werden.“*

Carm. I, 7.

De argumento carminis et Graecarum urbium nominibus Godofredus Bernhardy in censura ed. Orellianae ita universe expedit: „Horaz nennt zur Einleitung diejenigen Städte, welche von der Poesie gefeiert worden, und zwar um den Ruhm Tiburs (21. Tiburis umbra tui) auf den Gipfel zu erheben; die wahre Tendenz aber ist, die sittliche Haltung des augustischen Zeitraumes, die innere Zerfallenheit und Characterlosigkeit (tristia bei Plancus, maestus bei Dellius) mit sicherem Takte auch hier zu bekämpfen. Cfr. II, 3.“

v. 1. *Mytilenen*] *Μυτιλήνην* scribendum esse, non *Μιτυλήνην*, docuit iam Wesseling, ad Herod. I, 160. — De situ urbis pulcherrimae vid. Muret. V. L. IX, 16. Affluebant autem Rhodus et Mytilene eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis: hinc geminae illae „exulantium eruditorum sedes“, ut ait Cicero ad Fam. IV, 7, 9.

v. 2. *Epheson — Corinthum*] Geminae civitates ipsae quoque pulchritudine et amoenitate clarissimae: quarum alteram „Asiae lumen“ dicunt (Strab. XIV. p. 641. ell. Plin. N. H. V, 29, 31) vocatque Antipater Sid. in Anth. Gr. II. p. 16: *Θοῶν βασιλείαν Ἴώνων τὰν δορὶ καὶ μουσαίαις αἰνετάταιν*, hanc vero Ἑλλάδος ἄστρον vocat Polystr. in Anth. Gr. T. II. p. 1. (Mitsch. in Anal.) — *bimaris*] quia Isthmus *διθάλασσος*, vel, ut quidam malunt, *ἀμφιθάλασσος*, *ἀμφιάλος* (Pind. O. VII, 33. XIII, 39. ell. Xenoph. Hell. IV, 2, 13). Euripides vocat in Troad. 1097: *διποροῦν κορυφὰν Ἴσθμιον*. Cfr. Muret. V. L. I, 7.

v. 3 sq. Iam commemorat loca, quae non solum sacris deorum festis augustissima, sed eadem situs forma ac salubritate celeberrima erant. Laudatur inprimis viriditas agri Thebani, de quo Dicaearch. Vit. Graec. p. 191:

1) H. e.: Sed obscura etiam per Ditis domos inter exiles umbras errabis vecors. Schneidew.

χλωράν ἔχουσα τὴν πρόσοφιν. Τέμπη autem elegantissime describuntur a Callim. fr. 32. Bl. et ab Aeliano V. H. III, 1.

v. 5. *Sunt quibus est*] Haec formula ex Graeco expressa et ἕφ' ἐν accipienda (ἔστιν, εἰσὶν οἷς, Manche, vid. ad C. I, 1, 3), cui opponitur infra alius aliquis, qui plurimus erit in Iunonis honorem, et mox me, transitum nobis parat ad unum omnium difficillimum locum:

v. 7 sqq. *Undique decerptam fronti praeponere olivam.*

Plurimus in Iunonis honorem

Apertum dicit equis Argos ditiesque Mycenae.]

Quum Interpretum curae me omnino non tangerent, nisi ubi Graecismi ratio habenda sit, hic mihi satis erit dixisse, id quod gravissimum est, eos nobis nondum persuasisse, hoc praeponere fronti olivam pro eo, quod est „praecingi corona oleaginea“, et multo minus illud plurimus dicit pro eo, quod est „plurimi dicunt“, Latine dictum esse aut potuisse dici ¹⁾. Quae quum ita sint, quum in vs. 7. haec una fere optio detur, utrum Magni Bentleyi explicatio „ex argumento undiquaque exhausto coronam sibi poeticam quaerere“ amplectenda, an cum Godofr. Bernhardyō sit interpretandum: Omnem copiam fabularum de oliva illa per Minervam creata, quas velut flosculos quosdam poeticos undique decerpserunt, statim ab initio carminis perpetui ponunt ²⁾: huius sententiae accedere eo minus dubito, quum praesertim, praeter cetera quae mitto ³⁾, ne illud quidem constet, quod Bentleyus pro gravissimo suae interpretationis

1) Praeter ceteros Robertus Ungerus De Valgii Poem. p. 362 seqq. multus est in his versibus undique collustrandis, sed ne longissima quidem demonstratione ea quae dixi mihi probare potuit, quamquam mira doctrina usus fere omnia cum pulvisculo exhaustit. Profert quidem ex Ovid. de A. A. lib. I, 734. locum, ubi scriptum sit in libro Palatino: „nec turpe putaris Palliolum nitidis praeposuisse comis“: sed consensus Codd. ibi alteram lectionem imposuisse tueretur, et nusquam simile exemplum exstat nec in Latinitate nec, ut mox videbimus, in Graecitate. Quod vero illud „plurimus dicit“ pro „plurimi dicunt“ nobis probare conatus est, in ea re prorsus et oleum et operam perdidit, quoniam id genus exempla eo referenda sunt, quo infra revocabimus.

2) Siquidem eius explicationem probe intellexi. Ita enim ille in censura editionis Orellianae: Diese Auffassung findet sich mit Gesner's einsichtiger Kritik über die Bentley'sche Note nicht sonderlich ab, auch abgesehen von dem verkünstelten undique decerptam: während im Zusammenhange des Ganzen vielmehr die mythenreiche Olive an der Stirn eines zur Ehre Athens gesungenen Werkes prangen muss.

3) Vid. Gesnerum a Bernhardyō laudatum et Peerlkampium ad h. l.

tionis fundamento posuit, ita locutos esse Graecos: παραθέσθαι στέφανον ταῖς κόμαις. Comparaverat enim Bentl. Sapphus fragm. 44. Neue., 67. Schneidew.: Σὺ δὲ στεφάνοις ¹⁾, ὦ Δίκα ²⁾, παρθέσθ' ἑρταῖς γόβασιν. At hoc ipsum verbum παρατίθεσθαι hodie VV. DD. ex Sapphus loco expulerunt, substituto pro eo περιθέσθ' i. e. περιθέσθαι. Nam coronae comis τίθενται, ἐπιτίθενται, ἀμφιτίθενται, περιτίθενται, et sic sexcenties: παρατεθεῖσαι cogitari non possunt ³⁾. Quodsi tu tutius ibis cum Magno Bernhardyo, undique decerptam Graecorum more modoque de flosculis illis decerptis ex prato poeseos s. Musarum (v. Muret. V. L. VIII, 1 et Valcken. in Eurip. Hipp. 73. cl. C. I, 26, 6. et Cic. p. Sest. 56. §. 119.), fronti autem sic proprie de fronte libri dictum esse intelliges ex Ovid. Trist. I, 1, 8 sqq. et I, 7, 33:

Hos quoque sex versus, in prima fronte libelli

Si praeponeudos esse putabis, habe.

Iam vero quae sequuntur verba Plurimus in Iunonis honorem, Aptum dicet equis Argos etc. eiusdem Bernhardyi vestigiis primis insistens sic interpretor „Alius aliquis, qui plurimus feretur in Iunonis praedicationem, dicet“. Ita explico, uti apparet, ex Graecismo, qui certe hic mihi pluris est quam multae illae ac variae Interpretum opinationes; siquidem Horatius in primo Carminum libro fere totus pendet e Graecis. Sic enim Graeci loquuntur: πολὺς vel πλείων καὶ πλείων ἔει ὁ ποιητὸς, deinde πολὺς λέγω et πολὺς ἑμνοῦμαι. Aeschyl. Sept. 5, ubi vid. Blomf., Callim. fr. 115. Bernh. Synt. p. 334. Idem. Eratosth. p. 188. Krüger. Gr. §. 57, 5, 1. Itemque Latini interdum per Hellenismum protulerunt multus et plurimus, „intensam vim et studium notantes“. Vid. Vechn. Hellenol. p. 417, cuius exemplis addas Ovid. M. XI, 562. Trist. IV, 10, 128. Am. I, 15, 38: „in toto plurimus orbe legar“. Et sic „plurimus in honore“ (quae Oudendorpii et Cuninghami emendatio est, probata Peerlkampio) Graece sane esset πλείστος ὧν ἐν τῷ ἐπαίνῳ: sed stat antiqua lectio, videturque Horatius praetulisse Graecorum imaginem a flumine ductam, quam et alibi secutus est. Eurip. Hipp. 443: Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸν, ἦν πολλή (i. e. multa, tota, nimia) ἔνῃ, sc. ἐς βροτῶν γένος: cuius versus memor Horatius scripsit C. I, 19, 9: „in me tota ruens Venus“. Phocyl. 181: Μηδ' ἐς ἑρῶτα γυναικὸς ἄπας ἑεύσης. Sic porro de hac ipsa re, de

1) Accusativus Aeolicus, cum infinitivo constructus, qui ex veteris sermonis consuetudine imperativi vicem implet.

2) Est id ἐποχοριστικὸν nominis Μνεσιδίκα (fr. 65), quod Ovidio Mnais est. Schneidew.

3) Vid. Neue. p. 65.

qua agitur, πολὺς ῥέω: Demosth. de Cor. p. 272. R. ubi orator Philippi Python Byzantius, cui solus Athenis obloqui poterat Demosthenes, *ῥασυνόμενος καὶ πολὺς ῥέων* dixisse dicitur, hoc est, multus fluens, ut ipse Horatius Sat. I, 7, 28. (vid. Bentl.) Latine reddidit. Quod igitur Noster h. l. novavit, hoc unum est, quod pro eo, quod est „plurimus fluens“, breviter admodum ac simpliciter scripsit plurimus in Iunonis honorem, ut alias Graeci *δεινότατος ἔς* (Eurip. Andr. 159); nec dubitandum, quin in ea quoque re feliciter audax fuerit: *πλείστος ῥυεῖς ἔς κλυτὰς τιμὰς* s. *ἔς ἐπαίνους* (in honorem, vid. C. I, 26, 10) *Ἦρας*, wer sich mit mächtigem Redefluss verbreitet über den Ehrenpreis der Juno, vel, ut Bernhardyus mavult, „wer auf der Juno Ruhm seine Kraft setzt“.

Reliquum est, ut de Graecis poetis, quos Horatius cogitaverit, paucis dicendum videatur. Quamquam enim de certis carminibus in Athenarum et Argorum laudem compositis nihil iam restat: nobilissimas tamen Graeciae urbes suos invenisse laudatores — sive *ἐγκώμια* earum composuerunt, sive *ἐν παρόδῳ* earum meminerunt, ut Choerilus in Persicis — et satis credibile est, et Athenas certe a poetis popularibus cantatas esse testantur Athenaeus VI, 229. E. et Pindarus fr. 46. B.: *Ἄι τε λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδος ἔρεισμα, Ἀθήναι*, h. l. Et splendidae et carmine celebres, Graeciae columen, Athenae.

v. 9 sq. *Argos — Mycenae — Lacedaemon*] Has ipsa Iuno commemorat apud Homerum urbes sibi carissimas et tanquam domicilia sua, II. IV, 51:

Ἦτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταται εἰσι πόλεις

Ἄργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγνια Μυκῆνη. Cfr. Pind. N. 10, 2.

— *aptum equis Argos*] Ex Homericis epithetis *Ἄργος ἰππόβοτον, ἰπποτρόφον*, quae constanter servarunt Pindarus Isth. VI, 17. Nem. X, 41. ¹⁾ et Euripides Iph. in T. 700. Suppl. 365. Trach. 1087. Eiusque rei laudem Argivis Horatii etiam aetate constitisse suam, quum gravissimi auctores sint Strabo IX. p. 388. et Gabius Bassus ap. Gellium III, 9, perperam Lübkerus eam Thesalicis Argis transscribendam esse Wachsmuthio Graec. Antiq. I, p. 38. credit. Vid. Unger. l. l. p. 374 seqq.

— *ditesque Mycenae*] Haec quoque ex Hom. II. VII, 180: *βασιλῆα πολυχρόσιο Μυκῆνης* ²⁾. Horatii quidem temporibus iam diu disturbatas fuisse „Agamem-

1) *ἰπποτρόφον ἄστυ*, ubi Boeckhius: Audit enim ita proprie planities totius illius regionis pascuis equorum aptissima. Nam satis aquarum habebat planities, urbs vero in loco sicco fuit sita; cf. Strab. VIII, p. 371.

2) Soph. Electr. 9: *Μυκῆνας τὰς πολυχρόσους*.

nonias Mycenae " inter omnes constat (Ovid. M. 15, 426 sqq.); sed ita iacuerunt illae, ut tamen „magnarum rerum magna sepulcra“ manerent (Paus. II, 16, 5. p. 271): ad quae pertinent Horatii verba.

v. 10. *patiens Lacedaemon*] est non tam *ταλασίφρων, πολύτλας, πολυτλήμων*, quae nota de Ulixis virtute Homeri eademque Nostri Epist. I, 7, 40. praedicatio est, quam victus tenuitate et duritie toleranda insignis ¹⁾).

v. 11. *Larissae campus opimae*] Homerum secutus est, qui *Φθίην* et *Λάρισσαν ἐριβώλακα* dixit (II. IX, 479. II, 841. XVII, 301).

v. 15 sqq. *Albus Notus*] Homerus *ἀργεστήν* appellat ob eandem causam, II. XI, 305: *ὡς ὁπότε νέφεα Ζέφυρος στυφελίξῃ*

Ἀργεστᾶο Νότοιο ²⁾), *βαθείη λαίλαπι τύπτων*.

Sententiae formam Lambinus ex Pindaro Pyth. III, 188 (104. B.) expressam putat, ubi poeta, postquam ipse quoque praecepit illud: fortuna secunda uti decere, ubi quis eam a diis nactus sit, ita pergat dicere: *ἄλλοτε δ' ἄλλοται πνοιῶν Ὑψιπετιᾶν ἀνέμων*. Ipsam autem sententiam „Sic tu sapiens finire memento tristitiam vitaeque labores, molli, Plance, mero“ fortasse debet Euripidi, Alc. 810 sqq. ubi Hercules item suadet: *Οὐκοῦν τὴν ἄγαν λύπην ἀφείς Πιεῖ μεθ' ἡμῶν — στεγάνοις πυκασθεῖς; Καὶ σάφ' οἶδ', ὄθ' οὐνεκα Τοῦ νῦν σκυθρωποῦ καὶ συνεστῶτος φρενῶν Μεθορμιεῖ σε πίνυλος ἐμπροσθῶν σκύφου* ³⁾). Cfr. ad C. I, 4, 13.

v. 19. *Molli mero*] Ut Graeci *οἶνον μαλακὸν σκληρῶ* opponebant. Orell.

v. 21 sq. *Teucer Salamina patremque Quum fugeret*] Audies ipsum haec commemorantem apud Eurip. in Hel. 86 sqq. et 146 sqq. vs. 28 sq.

- 1) Ungerus l. l. p. 381 sqq. nobis satis probavit, Horatium hoc dicere: „Mihi Tibur placet, quod tantum a Sparta patientia et nimia frugalitate abest, quantum a Larissae opulentia et luxuria“. Nam ut Larissa non solum opima (*ἐριβώλαξ*) et ditissima (*εὐτυχεστάτη*), sed etiam delicata audivit (*πολυτελέστατοι, εὐτράπεζοι, πολυφάγοι Θεσσαλοί*): sic nihil fuit Spartae parcis et frugalius (Nep. Ag. 7, 4. Alc. 11, 4).
- 2) Ubi Faesi: *ἀργεστής*, sofern der Südwind die Luft besonders hell und durchsichtig macht, daher auch *λευκόνοτος*, albus Notus.
- 3) „Also, fliehend Grames Uebermass, — bekränze dich und trink mit uns! Ich weiss gewiss, dein jetziges Hinstarren, Freund, und alle Runzeln deiner Stirn vertreiben bald des Bechers überwallende Begeisterungen“. Ita Bothius vertit bene sane atque eleganter, sed melius tamen poeta Graecus, qui praeclaram metaphoram suam optime pertractavit, quod, quum *πίνυλος σκύφου* intulisset, etiam *ἐμπροσθῶν* et *μεθορμιεῖ σε* dixit. Horatius ipsa sententia contentus omnem ornatum detraxit, quum iam aliam a Pindaro mutuatus esset imaginem.

v. 23. *Tempora populea fertur vinxisse corona*] Quoniam Graeci homines, qui itinera faciebant, sacrificabant τῷ ἡγεμόνι Ἡρακλεῖ (Xenoph. Anab. IV, 8, 25. VI, 2, 25; 5, 24), ipsi quoque advenae et vago, populea fronde sive corona, eius insigni, ornati. Cfr. Theocr. II, 121. Unger. de Valg. p. 370 sq.

v. 30. *peioraque passi*] Homeric dictio et consolatio est, Od. XII, 208, ubi Ulixes sociis:

ὦ φίλοι, οὐ γάρ πο τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν.
et XX, 21, ubi sibimet ipse: τέταθι δὴ κραδίη, Καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης. Cfr. Virg. A. I, 198. Ovid. Tr. V, 11, 7.

Carm. I, 9.

v. 1—8. *Vides, ut — gelu Flumina constiterint acuto.*

Dissolve frigus ligna super foco

Large reponens atque benignius

Deprome — — merum.] Imitatus est in his ac potius ex-

pressit, iisdem fere verbis eodemque metro usus, Horatius Alcaei σκόλιον ap. Athen. X, 430. A., Fragm. 27. Matth., fr. 27. Schneidew. p. 273:

Ἦει μὲν ὁ Ζεὺς, ἐκ δ' ὄρανω¹⁾ μέγας
Χειμῶν, πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥοαί.

Κάββαλε²⁾ τὸν χειμῶν³⁾, ἐπὶ μὲν τιθεῖς
Πῦρ, ἐν δὲ κίρναϊς³⁾ ὄϊνον ἀφειδέως
Μελιχρόν, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσῃ

Μαλθακὸν ἀμφι[τίθει]⁴⁾ γνόφαλλον⁵⁾.

Ex quibus versibus Horatium suos composuisse notarunt iam Muretus, Lambinus, Stephanus ad Anacr. p. 163, R. Bentleius; eiusdemque carminis Alcaici initium aperte reddidit etiam Epod. 13, 1 sq.:

1) h. e. οὐρανοῦ.

2) „Multo fortius loquitur Alcaeus: prosterne quasi frigus, quum Horatius dissolvendi contentus sit verbo“. (Wensch.).

3) Forma Aeolica pro ἐγκρινὰς δέ.

4) Supplent viri docti ἀμφιτίθει, ἀμφιτιθεῖς, ἀμφιβαλῶν.

5) Aeolice pro γνάφαλλον h. e. tomentum, mollis pulvinus, ein Kissen.

Horrida tempestas coelum contraxit et imbres
Nivesque deducunt Iovem ¹⁾ etc.

v. 3 sq. *gelu acuto*] Adrianus Turnebus Adv. XV, 26 notavit, acutum dici Graeco more pro acri et vehementi, quod ὄξυ denotat. Sic Pind. Pyth. I, 39: χιόνος ὄξειας. Similiter Apoll. I, 1027: ὄξειή ὀπιῆ πυρός. Wagn. Proprie igitur dictum, ut acri C. I, 12, 1.

v. 8. *O Thaliarche*] Graecum Thaliarchi nomen quasi proprium vel elegit vel ipse confixit Horatius. Vid. Exc. II.

— *diota*] ὁ δῖωτος σιάμνος = ἀμφορεύς (Moeris. p. 44); non διάτη, nec διώτης Graece dicitur (vid. Benth.). „Amphora duarum aurium, id est, ansarum“. (Lamb.).

v. 9. *Permitte divis cetera*] Iudice Iacobsio Animadv. in Anth. I. p. 159 sumptum hoc ex Archil. fragm. 32. Lieb., 49. Schneidew.: Τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα. Sed eadem Euripides, gravissimus Horatio sententiarum auctor, ita scripsit in Alc. 808: (εὐφραίνε σαυτόν, πίνε) τὰ δ' ἄλλ' ἔασον ταῦτα, et in Cress. fragm.: τὰ δ' ἄλλα χείροι κύλικος ἐρπούσης κύκλω. Accedit, id quod magnum est in re ancipiti momentum, quod ex eodem fonte videntur etiam fluxisse quae infra vs. 13 seqq. leguntur.

v. 11. *ventos Deproeliantes*] Hom. II. XVI, 765: Ὡς δ' Εὐρός τε Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοιν. Wagn.

v. 13. *Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
Quem Fors dierum cunque dabit, lucro
Appone, nec dulces amores*

Sperne puer.] Est sententia Euripidea, si quid video, ex Alceste expressa, vs. 804 seqq.:

— — Τὸν καθ' ἡμέραν
βίον λογίζου σὸν, τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης.
τίμα δὲ καὶ τὴν πλείστον ἠδίστην θεῶν
Κύπριν βροτοῖσιν.

Eandem sententiam manifestius ac plenius depromptam ex Herculis verbis ap. Eurip. vs. 798 seqq. mus urbanus propinat agresti Sat. II, 6, 93 seqq., eademque usque recurrit apud Nostrum: C. II, 16, 25 sq. III, 29, 32 sqq. alibi.

1) Utrumque locum cum Alcaeo accuratius comparavit Wenschius, Prorektor Vitebergensis in Progr. Schol. an. 1829. p. 8 seqq. atque ita quidem, ut fere in omnibus priores detulerit Alcaeo.

Cfr. praeterea Pindari fr. 88, l. B.: *χρῆν μὲν κατὰ καιρὸν ἐρώτων δρέπεσθαι, θυμὲ, σὺν ἀλικίᾳ.*

v. 15. *dulces amores*] Graecis *γλυκεῖα* vel *ἡδεῖα Κύπρις*, ἔρωσ γλυκὺς v. *ἀδύς* (Theocr. 1, 95. Eurip. l. l. Pind. O. 6, 57. Bion 7, 5).

v. 17. *virenti*] Solita apud Graecos imagine, ut *χλωρὰ μέλεα*, *γόνυ χλωρόν*, *χλωρόν αἶμα* (Theocr. 27, 66. 14, 70. Soph. Trach. 1055). Hinc Chloris dicta ratioque habita Thaliarchi nominis (*θαλίας ἀρχός*). Cfr. Epod. 13, 4 et Excurs. II.

v. 19. *lenes susurri*] *ψιθυρίσματα* = *δαρισμοί* (Theocr. 27, 67).

Carm. I, 12.

v. 1 sqq. *Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?*

Quem deum?] „Haec a Pindaro sumpsit“. Porphyrio.

Idem notarunt Henricus Stephanus ad Anacr. p. 164, Muretus, Lambinus alii. Est sane introitus sublimis ad Pindari exemplum expressus ex Olymp. 2 init.:

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι,

τίνα θεόν, τίν' ἥρωα, τίνα ἄνδρα κελαδῆσομεν;

Quem locum Horatius imitatus est inverso ordine, mox proprium impetum secutus. Vid. Orell. in Exc. et Bernhardyi R. L. ed. alt. not. 20¹⁾.

v. 1. *acri tibia*] *ἀδλῶ λιγυρῶ, λιγυρηεῖ*. Laudat hoc *ἐπίθετον* ut proprie dictum Quintil. 8, 2, 9.

v. 2. *sumis celebrare*] Hic infinitivi usus vere Graecanicus putandus. Talia sunt apud Horatium Epod. 11, 3: *Expetit me urere*. C. I, 2, 7: *pecus egit visere montes*. C. I, 26, 2: *tristitiam tradam portare ventis*, et pauca alia: non C. I, 23, 10: *te frangere persequor*, nec C. I, 15, 27: *furit te reperire*. Vid. Exc. IV, 4.

v. 3. *iocosa imago*] Imago est propria in hac re universae Latinitatis vox (Varro r. r. 3, 16, 12. Cic. Tusc. 3, 2, 3), quamquam Graeci *ἡχώ* similiter *εἰκόνα στομαίων* vocant (Anal. Br. II. p. 95). Cfr. C. I, 20, 8.

1) Quare haud scio an iniuria eum reprehenderit Boeckhius l. l.: „Ut Horatii carmen, ait, arte factum est, Pindaricum vero quamvis artificiosum naturae debetur, ita hoc quoque Pindarus rectius et rei convenientius instituit, quod a deo incipiens per heroem ad hominem descendit“.

v. 7—12. *Unde vocalem Orphea etc.*] Digressio vere lyrica ac prope Pindarica, quamquam nihil ab eo mutuatus est nec ab Orphea Argon. 259 sqq. aut ab Apoll. Rhod. I, 26 sqq.

v. 13. *Quid prius dicam solitis parentis Laudibus?*] A Iove ad Pindari exemplum rite exorsus ad eius liberos transit: nam ille deorum maximus — πατήρ s. ἀνάξ ἀνδρῶν τε θεῶν τε (Hom.), πάντων μέγιστος, Ζεὺς ὑψίστος, πανυπέριστος (Hesiod. Theog. 47 sqq. Aeschyl. Choeph. 202. Callim. H. in Iov. 91) — et Musarum principium: Hes. l. l., Alcmanis fragm. 5. Schn.: *ἐγὼ δ' αἰέσομαι ἐκ Διὸς ἀρχόμενος*, Arati φαινομένων initio: *Ἐκ Διὸς ἀρχόμεσθα*. Sed haud scio an praeter ceteros inspiciendus sit Pindarus, qui Nem. II. persimili initio usus est: *Ὀθωνπερ καὶ Ὀμηρίδαι — Ἄρχονται, Διὸς ἐκ προοιμίον*. Loco supra laudato Ol. II, 3 simplicius Pindarus: *ἦτοι Πίσσα μὲν Διὸς*. Vide omnino Quint. X, 1, 546 et Boeckh. ad Pind. l. l. Nem. II, 1. p. 362.

v. 20. *Pallas*] Horatio a Iove proxima, eademque Graecis in deorum concilio, Pind. fr. 112. B.: — ἄγχιστα δεξιὰν κατὰ χεῖρα πατρὸς Ἰζεῖ. Vid. Spanhem. ad Callim. H. Apoll. 29.

v. 22. *Virgo*] Graecis Κόρη, Παρθένος absolute dicta Diana, Callim. H. in eandem vs. 6. (Mitsch.). — *saevis inimica belluis*] Ἄρτεμις ἰοχέαιρα vel θηροκτόνος (Hom.), θηρῶν δλέκουσα γενέθλην (Hom. H. in Dian. 10), ἀγροτέρα (Pind.), κυνηγέτις (Callim. H. in eandem).

v. 23. *metuendus certa Phoebus sagitta*] Ἀπόλλων κλυτότοξος, ἐκηβόλος, ἐκάεργος (Hom.).

v. 25 seqq. Ex heroibus memorantur Hercules victor, monstrorum dominator, ὁ σωτήρ Ἀλκείδης, et Dioscuri, ipsi quoque Graecis σωτήρες (Eurip. El. 991. cfr. ad C. I, 3, 2). — *puerosque Ledae Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem*] Expressit Homeri illud in II. III, 237. Od. XI, 299:

— — Ἀῖδη — γείνατο παῖδες
Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πύξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεια.

v. 30 sqq. *Concidunt venti fugiuntque nubes*

Et minax — quod sic voluere — ponto

Unda recumbit] ex Theocriti hymno in Dioscuros fluxisse videntur Mureto, Lambino, Mitscherlichio, XXII, 19 sq.:

Αἴψα δ' ἀπολήγοντ' (= ουσιν) ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα
Ἄμ πέλαγος· νεφέλαι δὲ διάδραμον ἄλλυδις ἄλλαι.

et recte quidem, ut videtur, siquidem etiam C. IV, 8, 32 sq. ex eodem fonte,

Theocr. I. I. vs. 17 sq., hausta esse manifestius deprehenduntur. Quamquam fundus huius sententiae iam inest in Hom. H. in Diosc. 12 sqq.

v. 43. *Saeva paupertas*] *πενία δεινή, χαλεπή, ἀργαλή*, verum *μόχθοιο διδάσκαλος* (Theocr. XXI, 2). Ad hanc sententiam cfr. Alcaei fr. 72. Sch.:

Ἀργαλέον πενία, κακὸν ἄσχετον, ἂ μέγαν

Δάμνη λαὸν ἀμαχανία σὺν ἀδελφεῷ. „Cum Alcaei loco comparandus Herodot. VIII, 111. ubi Themistocli dicenti, *ὡς ἦκοιεν Ἀθηναῖοι περὶ ἐωϋτοῦς ἔχοντες δύο θεοὺς μεγάλους, Πειθῶ τε καὶ Ἀναγκαίην*, respondent Andrii, *θεοὺς δύο ἀχρήστους οὐκ ἐκλείπειν σφέων τὴν νῆσον, ἀλλ' ἀεὶ φιλοχωρεῖν, Πενίην τε καὶ Ἀμαχανίην*“. Blomf. ex Addendis ad Aesch. Sept. 343.

v. 45 sq. *Crescit occulto velut arbor aevo Fama Marcelli*] Praeclara profecto ac familiaris Graecis imago, quam falso suspectam habuit H. Peerkampius. Bernh. in eius censura: „sehr ähnliche Züge der stillen sorgsamten Pflege s. bei Hom. II. σ', 56 sq. Pind. Nem. 8, 68 sq. Catull. 62, 39 sqq.“. Pindari locum, unde haec sumpta et expressa putabat, iam Scaliger indicavit Lambino, v. 40. B.:

*Ἀϋξεται δ' ἀρετὰ, χλωραῖς ἔρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ἤσσει,
Ἐν σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερόθεισ' ἐν δικαίοις κτλ.*

His igitur ducibus confidenter explicabis: *Crescit virtus et fama Marcelli adolescentis* (v. Franke. F. H. p. 63) sub diligentissima Augusti avunculi eiusdemque soceri tutela, velut arbor aevum agitat, dum tempus quod crescit occultitur, usque tamen crescit¹⁾.

v. 46 sqq. *micat inter omnes Iulium sidus velut inter ignes Luna minores*] Sapphica, ut videtur, comparatio, Fragm. 3. Neue, fr. 3. Schn. p. 295:

*Ἀστέρες μὲν ἀμφὶ καλὰν σελάναν
Ἄψ ἀποκρύπτουσι φαιενὸν εἶδος,
Ἵππότην ἂν πλήθεισα μάλιστα λάμπη
Γᾶν [ἐπι πᾶσαν]²⁾.*

v. 37

1) Wie ein Baum wächst in verborgen bleibender, stiller Entwicklung.

2) Muretus V. L. IX, 17. Pindari potius locum Isth. III, 40. de Lucifero ab Horatio expressum esse voluit. Sed recte Neue de Sapphus loco rem ita expedit et conficit: „Ex verbo praesentis temporis *ἀποκρύπτουσι* et subsequente particula *Ἵππότην* ἂν apparet, non describi rem lucente luna actam, sed voculis *μὲν* et *δὲ* inter se relatis vim subesse comparationis, ita ut in altero membro vir vel puella aequae diceretur praeter comitum turbam excellere. Ut Horatius, collatus a Fulv. Ursino, Carm. I, 12, 46.“

v. 57 sq. (Augustus) *reget orbem*, Tu (Iuppiter) *quaties Olympum*] Est fortasse dictum illud, quod Archelaus, poeta epigrammaticus sub Ptolemaeo I. rege, Alexandro M. tribuit: *Γὰν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι, Ζεῦ, σὸ δ' Ὀλυμπον ἔχε*, eumque versum in aenea eius statua, Lysippi opere, inscripsit ¹⁾. Ad vetus hoc de Alexandro M. dictum Horatium respexisse eo facilius ac libentius credam, quo maius atque insignius in eius verbis insit Augusti principis praeconium. Cfr. ad I, 37. s. f.

Carm. I, 13.

v. 1. *Telephi*] fictum amatoris nomen Graecum *Τήλεφος*, qui Horatio fortasse nullus omnino est, nisi qui late splendeat pulchritudine sua. Vid. Exc. II.

v. 4. *bile tumet iecur*] Homeric formula *οἰδάνεται κραδίη χόλω* (II. IX, 646). Pro corde autem h. l. substituit iecur, ut alibi saepius; nam in ἥπατι poetae Graeci omnium animi affectuum, amoris maxime et irae sedem collocant. Archiloch. fr. 92. Lieb.: *χολὴν γὰρ οὐκ ἔχεις ἐφ' ἥπατι*. Vid. Valcken. in Hipp. 1070. Horatii aliorumque dicta collegit Lambinus ad h. l. et ad C. IV, 1. 12.

v. 5. seqq. *Tunc nec mens mihi cet.*] „Ante oculos poetae fuit in his nobile Sapphus carmen illud: *Φαίνεται μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν κτλ.*“ Mitsch. Vide in Prooemio huius ipsius carminis vs. 7 sqq., quamquam vix ullam verborum similitudinem deprehendas; quod Horatius cavet, credo, propter Catullum.

v. 12. *impressit labris notam*] Sic apud Theocr. 27, 18 puella importuno amatori: *Μὴ πῖβάλῃς τὰν χεῖρα, καὶ εἰςέτι χεῖλος ἀμύξης*.

v. 15. sq. *oscula, quae Venus Quinta parte sui nectaris imbuat*] Quod Venus Lydiae oscula quinta parte sui nectaris imbuisse dicitur, hoc Meinelckio²⁾ ex Hesiodi versibus ab Apollodoro Bibl. III, 6, 7. servatis explicari posse videtur, fragm. 112. Goetl.:

Οἴην μὲν μοῖραν δέκα μοιρῶν τέρεται ἀνήρ,

Τὰς δέκα δ' ἐμπύπλησι γυνὴ τέρουσα νόημα.

„Hesiodus, ait, venereae voluptatis decem partes statuit, quarum unam percipere marem, omnes decem explere feminam. Apertum igitur est, oscula illa duabus de decem venereae suavitatis partibus sive quinta parte imbuta dici. Decu-

1) Plut de Fortuna Alex. p. 356. Anth. Pal. II. p. 661.

2) Zeitschrift f. A. W. 1851. 3. Nr. 30. p. 233: quem locum mihi indicavit Dr. Aug. Voigtius, collega amicissimus.

manus autem numerus etiam in descriptione aliarum suavitatum locum habet. Ibycus ap. Athen. 2. p. 39, b: τὸ μέλι ἔννατον εἶναι μέρος τῆς ἀμβροσίας τὴν ἡδονήν, ubi Schol. Pindar. Pyth. 9'. 113 δέκατον scribendum docet.¹⁾ Errat Meineckius, si quid video, sed ita errat ut viri accurate docti errare solent non sine magno ad veri cognitionem profectu atque emolumento. Nam siquidem quintam partem nectaris Veneri non ad solitam comparationem mellis, quod veteres decimam partem nectaris explere statuunt ipsumque interdum nectar appellare solent²⁾, non ad purpureum oris colorem, qualis est Augusti ore purpureo nectar bibentis (C. III, 3, 12.), non ad ullam aliam rem referri vult quam ad proprium deae munus, ad voluptatem venericam, quae in illis osculis insit mari percipienda, eamque duplo maiorem quam quae ab aliis puellis praestari possit, quia illa oscula non decima parte nectaris sed duabus decimis partibus i. e. quinta parte imbuta sint: crassiore, ut opinor, Musa locum suavissimum ipsoque nectare tenuiorem interpretatur; sed in numero tamen rectum vidit. Pariterque errant ii, qui oscula simpliciter cum melle comparata volunt, quum de sola saporis dulcedine cogitant, quasi Horatius bis mellita suavia dixerit: ut *σιόματα μελισταγῆ* et multa similia in Anthol. Gr. leguntur, quae Mitscherlichius collegit. Horatius vero nec ipsam venerem, nec mellitam naturam osculorum linguaeque iudicium spectavit, sed et legitimum in talis suavitatis genere declarando numerum respexit suo modo, et nectaris sive mavis mellis purissimi ac tenuissimi imagine usus est ad incomparabilem quandam Lydiae pulchritudinem significandam. Nam quum in aliarum puellarum, si modo aureae Veneris munera consecutae essent, venustate describenda vel decima divini illius nectaris pars profecto satis fuisset, Lydiae labellis altero tanto maiorem s. quintam partem attribuit idque propter eximium florem aetatis. Intellexit nimirum quasi nectareum osculorum et odorem et saporem, quoniam ipsum os nectare imbutum veluti nectaris quandam suavitatem haberet. Sunt denique „fragrantia oscula“ i. e. condita halitu illo suaveolento et austero, qualem integer iuventutis flos spirare solet. Anth. Pal. p. 140:

Κούρη τις μ' ἐφίλησεν ὑφέσπερα χεῖλεσιν ὑγροῖς·

Νέκταρ ἔην τὸ φίλημα· τὸ γὰρ στόμα νέκταρος ἔπνει.

Alciphron. Epist. I, 38. p. 178: ὡς δὴ ἡδύ τι καὶ ἀκῆρατον ἀπὸ τῶν φιλημάτων νέκταρ ἔστιαζεν! Eademque rei specie usus est auctor Anacreont. Carm. 53.

1) Verba Scholiastae ap. Boeckh. p. 405 haec sunt: ἔστι δὲ καὶ τοῦ μέλιτος εἰρητῆς ὁ Ἀριστοῦτος, ὃ δὴ τῆς ἀθανασίας δέκατον μέρος ἀήθησαν εἶναι.

2) Vide Unger. in Valg. p. 58. p. 239 sq. Hertzberg. in Prop. IV, 6, 8. p. 460.

in recentis rosae venustate declaranda (57, 20. Bergk.): Μακάρων θεῶν δ' ὀμιλος, Ῥόδον ὡς γένοιτο, νέκταρ Ἐπέτεγγεν, ideoque rosa, dixerat, Νεότητος ἔσχευ ὀδμήν. Sic iam Homerus dixerat μελιθεῖα οἶνον (Od. IX, 208), sic Euripides Hipp. 136. Phaedrae ἀμβροσίον στόμα attribuit, sic hodieque nihil frequentius in Orientalium poesi¹⁾. Cfr. Jacobs. in Anth. Gr. III, 1. p. 317 et Hertzberg. in Prop. II, 29, 18.

Haec autem omnia cumulatius contuli praeter solitum iusti interpretis fere munere functus, ut frigidam illam explicationem convellerem, quam ex Pythagoreorum placitis repetitam nunc etiam obtinent, ut „quinta pars nectaris“ apud Hor. sit ἡ πέμπτη οὐσία τοῦ νέκταρος (die Quintessenz!). Immo vero secundum ea quae supra dicta sunt ita fere veritas: der nach roher barbarischer Weise die lieblich duftenden Lippen verletzt, die Venus selbst mit doppeltem Guss, mit dem fünften Theil, ihres eigenen Nektars, getränkt hat.

v. 17. *Felices ter et amplius*] formula Homericæ, Od. V, 306:

Τοῖς μάκαρες Λαυοὶ καὶ τετράκις, οἱ τὸν ὄλοντο.

Virg. Aen. I, 96: „O terque quaterque beati“, ad quem locum viri docti velut agmine facto permulta congresserunt.

v. 18. *irrupta copula*] videtur esse Homeri δεσμός ἀόρητος (Il. XV, 19), ut Lambino indicavit Germanus Valens; certe ἀπαξ λεγόμενον est.

Carm. I, 14.

Iam Henricus Stephanus ad Anacreont. p. 164 notavit, in hac ode videri Horatium imitatum esse Alcaeum, cuius haec reperiuntur²⁾, fr. 18 Bergk. 10. Schneidew. p. 266:

- | | |
|--|-----------------------|
| 1) „Duftige Küsse“ velut in hocce Armeniorum scolio intelliguntur: | |
| Was ist das Athmen? | Was ist ein Kuss, als |
| Ein Trinken von Luft — | Ein doppelter Trank! |
| Was ist das Riechen? | Trinken macht selig, |
| Ein Trinken von Duft! | Fasten macht krank! — |

itemque sexcenties apud Hafisium alios. Ex illis autem versiculis hoc statim perspicias bibi talia oscula in Orientalium poesi dici prorsus eadem rei specie, qua apud Latinos poetas caelum sive aura aetheria vel florum odores hauriuntur, qua etiam Anacreon fr. 58. Schn.: Ἐρωτα πίνων, eumque imitatus Virgilius dixit Aen. I, 749: Longumque bibebat amorem, et idem Anacreon fr. 10, 2. Schn.: μεθύων ἔρωτι, quod Catullus imitatus videtur 45, 11: Et dulcis pueri ebrios ocellos Illo purpureo ore saviata.

- 2) Apud Heraclidem Ponticum Alleg. Homer. p. 13. ed Schow, et apud Cocondrium περιτρόπων in Boissonad. Anecd. Gr. III. p. 294.

Ἄρ' οὐ συνίης¹⁾ τῶν ἀνέμων στάσιν;
 Τὸ μὲν γὰρ ἐνθεν κῆμα κυλίνδεται,
 τὸ δ' ἐνθεν ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον
 ναῦ φορήμεθα σὺν μελαίνα,
 χειμῶνι μοχθεῦντες μεγάλῳ μάλα²⁾.
 πᾶρ³⁾ μὲν γὰρ ἄντλος ἰστοπέδαν ἔχει,
 λαῖφος⁴⁾ δὲ πᾶν ζάδηλον ἤδη
 καὶ λακίδες⁵⁾ μεγάλαι κατ' αὐτό.
 χόλαισι⁶⁾ δ' ἄγκυραι.

Insigne hoc Alcaei poetae in re notissima exemplum sane admodum probabile videtur obversatum esse Horatio scribenti: „O navis, nonne vides, ut“ etc.: etsi initium tantummodo imitatus atque alio metro usus est, et ad ipsam navem tanquam ad rempublicam Romanam convertit orationem. Nam quam libera Archilochi Alcaei imitatione in singulis rebus ac verbis usus sit, ipse indicavit Epist. I, 19, 21: Non aliena meo pressi pede. Sed idem timuit tamen „mutare carminis artem“. Quare quum Alcaei certe carmen allegorice interpretandum sit, teste Heraclide⁷⁾: vix potest dubitari, quin Horatius quoque, id quod nonnulli Interpretes⁸⁾ perperam negaverunt, hanc ipsam carminis allegoriam

- 1) Ἄρ' οὐ συνίης. Hoc ego ausus sum restituere, quum locum corruptum esse constaret. Quod enim ap. Heraclidem legitur: Ἀσυνέτην καὶ τῶν ἀνέμων στάσιν, ferri nequit ac perperam explicant: [Ὁρᾶς] ἀσυνετῆν = ἀσυνέτους εἶναι (imo ὄντας) [sc. τοὺς πολίτας]. Inde frustra etiam, ut mihi videtur, quamvis probante Bergkio, coniecit Ahrensius Ἀσυνέτημι (non intelligo?!). Cocondrii lectionem Συνίημι τῶν ἀνέμων [τήν] στάσιν tuetur Schneidewinus, sed tamen idem agnoscit in principio versus manifesto inesse vitium, quum pateat vv. ἀνέμων στάσιν in fine fuisse posita praecedente quodam verbi συνίημι inclinamento. Hinc ego id quod proposui coniectura assecutus sum, Horatii vestigia in verbis „Nonne vides“ secutus, qui initia quidem exemplarium Graecorum fere ad verbum reddere soleat. Vid. ad C. I, 18, 1.
- 2) Sic Cocondrius; Heraclides καλάν, unde Schowius, probante Hermanno El. D. M. p. 688, reposuit κάλων i. e. funium, cl. Horatii verbis: „Antennaeque gemant ac sine funibus.“ 3) Herm. πᾶρ i. e. περί: si πᾶρ verum, adverbium est. Schneidew.
- 4) d. Segeltuch. 5) Risse. 6) forma Aeolia p. χαλῶσι.
- 7) Heracl. Pont. l. I. Τὰς τυραννικὰς ἐξουσίας χειμερῶν προσεικάζει καταστήματι θαλάσσης. Μυρσίλος γὰρ ὁ δηλοῦμενός ἐστι καὶ τυραννικὴ κατὰ Μυτιληναίων ἐγειρομένη οὐστασις.
- 8) In iisque, ut videtur, Lachmannus in Epist. ad Frankium p. 237 scribens illam navem sibi non Romanam videri, sed Alcaei poetae: quem constet cecinisse „dura fugae mala, dura navis.“

voluerit imitari. Agnoscit allegoriam iam Quintiliani auctoritas VIII, 6, §. 44, ac demta ea totum sane carmen nervis et argumenti pondere careret. Et vero antiquissima ac fere sollemnis est Graecorum comparatio reipublicae cum navi et bellorum civilium cum fluctuum tempestatibus. Vid. Orell. in Exc.

v. 3. *Nonne vides*] Formulae increpandi speciem praebet ut apud Homerum οὐχ ὀράας. II. VII, 448; XV, 555; XXI, 108; et Callim. Apoll. 4.

v. 5. *saucius*] per metaphoram Graecis assuetam, qui armamenta navis eius membra dictitabant. Herod. in Urania: αἱ ἡμίσειαι τῶν νεῶν τετραμέναι ἔσαν. Thuc.: τραυματισθειῶν τῶν νεῶν (Pollucis Onom. I, 125. IV, 189.). Idque imitatus etiam Livius 37, 24 vulneratam navem dixit.

v. 12. Silvae filia ut Pindaro pluvia παῖς νεφέλης (Olymp. 10, 2.) H. P.

v. 14. pictae puppes sunt Homeri νῆες μιλοπάρχοι (Od. IV, 125. II. II, 637.).

v. 15. *Debes ludibrium ventis*] genus hoc loquendi pro eo, quod est „ludibrio ventis futura es“, plane Graecum est. Sic enim loquuntur illi ὀφλισκάνειν γέλωτά τινι (Aristoph. Nub. 163. Eurip. Med. 1049), id est debere risum, quod Latini dicunt ludibrio esse. Muretus et Lambinus.

Carm. I, 18.

V. 1. Initium carminis: Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem, ab Alcaeo sumptum esse apparet, cuius haec exstant, Fr. 36. Schneidew., 44. Bergk.:

Μηθὲν²) ἄλλο φυτεύσης πρότερον δέιδρον ἀμέπω.

Nam et metrum et verba plane consentiunt; ex quo tamen consensu tu cave ne cum Mitscherlichio hoc efficias, „haud dubie universum carmen ex Alcaeo expressum esse“; immo verò versus Alcaicus nil nisi insigne exordium est, veluti purpureus quidam pannus qui late splendeat, quem poeta — ex Pindari sui praecepto Ol. VI, 3. B.: ἀρχομένου δ'ἔργου πρόσωπον χερὶ θέμεν τηλαυγές — huic carmini nullo alio consilio praefixit, quam ut initium canendi sumeret, quo doctis amicis gratificaretur eorumque attentionem acueret. Nam hoc fere sibi voluit Graeco illo versu, quem ex frequenti lectione memoria teneret, laudato: „Quod familiaris nobis poeta Alcaeus suadet: Nullam cet., id ego tuque, o Vare,

2) i. e. μηδέν. Aeoles enim θ et δ mutabant. Vid. Boissonad. ad Greg. Cor. p. 614 et Eusth. ad Hom. p. 1841, 23: θ ἐκ τοῦ δ τραπὲν Αἰολικῶς, οἶον οὐδὲν οὐθὲν, δάσος θάσος κτλ.

comprobamus, quum in comperto habeamus, nulla re magis vitam humanam exhilarari quam modici Liberi Venerisque decentis muneribus: at cavendum, si Hom^{er}um consulimus, cet.“ Quod quam vere de initiis carminum, a Lyricis maxime repetitis, a nobis observatum sit, ipsa comparatio docet. Cfr. C. I, 1, 3. I, 3, 1. I, 9, 1. I, 12, 1. I, 14, 1. I, 18, 1. I, 19, 1. I, 23, 1. I, 30, 1. I, 31, 1. I, 32, 1. I, 34, 2. I, 37, 1.

Eandem de vini bonis sententiam Euripides quum alibi saepius tum in Bacchis uberius et fusius exposuit, ad quem ipsum quoque Horatius respexisse videtur, vid. ad vs. 3 et 6. Reliquum autem huius carminis argumentum de incommodis vini potius ex Homero vel Theognide, illius sectatore, adumbravit, v. vs. 7.

v. 3. sqq. *Siccis omnia nam — — crepat*] Ad sententiam cfr. Aicaei Fr. 33. Schn.: *Οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς υἱὸς λαθικαδέα Ἀνθρώποισιν ἔδωκεν*, et Euripidis Bacch. 278 sqq.: *ὁ Σεμέλης γόνος*

Βότρυος ὑγρὸν πῶμ' εὔρε κείσηνέγκατο

Θνητοῖς, ὃ παύει τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς

Αὐπης, ὅταν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς,

Ἵπνου τε λήθην τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν

Δίδωσιν, οὐδ' ἔστ' ἄλλο φάρμακον πόνων.

Similiter Chorus ibidem 377 sq. Cfr. C. I, 7, 17 et II, 11, 17. — *Mordaces sollicitudines*] „Graeci γυιοκόρους et θυμοδακεῖς μελεδῶνας, et θυμαγεῖς et θυμοβόρους nominant, quasi membra rodentes et animum mordentes.“ Lambin. Illud crepat autem quotidiani potius sermonis est, quam Graecismi (λάσκειν, λελακέναι, Heindorf. ad S. II, 3, 33) cfr. Plaut. mil. gl. 3, 1, 57.

v. 6. *teque, decens Venus*] Eurip. Bacch. 772 sq.: *Οἶνον δὲ μηκέτ' ὄντος οὐκ ἔστιν Κύπρις, Οὐδ' ἄλλο τεργνὸν οὐδὲν ἀνθρώποις ἔτι.*

v. 7. *At ne quis modici transiliat munera Liberi*] Theogn. 509 sq.:

Οἶνος πινόμενος πολὺς κακὸν ἦν δέ τις αὐτόν

Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸν ἀλλ' ἀγαθόν.

Id. v. 479 sq.: *Ὅς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκέτι κείνος*

Τῆς αὐτοῦ γλώσσης καρτερὸς οὐδὲ νόου.

Quibus versibus totum huius carminis argumentum commode reddi posse Mureti eademque Dillenburgeri sententia est. Verum fundus eius dicti iam inest in Homeri versibus Od. XXI, 293 sq.:

Οἶνός σε τρώει μελιθής, ὅστε καὶ ἄλλους

Βλάπτει, ὃς ἂν μιν χανδὸν ἔλῃ, μηδ' αἴσιμα πίνῃ.

Ex eodemque fonte fluxit certe Centaurea cum Lapithis rixa, vs. 8. ab Horatio memorata, Hom. l. I. 295, seqq.:

Οἶνος καὶ Κένταυρον ἀγάκλυτον Εὐρυτίωνα
 Ἴλασεν ἐν μεγάρῳ μεγαθύμου Πειριθόοιο
 Ἐς Λαπίθας ἐλθόντ' κτλ.

v. 9. *Euius* — *Bassareus*] „Quatuor in hoc uno carmine sunt nomina unius dei, Bacchus, Liber, Euius, Bassareus; quorum duo in superiore parte, quae est de commodis vini, mite et benignum numen, duo in inferiore parte, quae est de incommodis vini, ferum respiciunt et indomitum numen. Euius enim et Bassareus nomina sunt petita ex orgiis et mysteriis Thraciis. Euius a clamore bacchantium εὐοῦ, εὐάν (*Euios*), Bassareus a voce Thracia βασσάρα.“ Dillenb. *Βασσάρα* enim est pellis volpina, inde baccha. Bacchae Thraciae autem non *ρεβρίδας* gestabant, sed *βασσάρας* s. *βασσαρίδας*¹⁾.

v. 11. sqq. *Non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiā cet.*] Ut Graece dicitur *κινεῖν θεόν*, sic Latine movere deum pro movere s. commovere eius sacra: quod ipsum proprie dictum esse docet Heynius ad Virg. A. IV, 301; itemque Graeci *κινεῖν τὰ ἱερά, τὰ μυστήρια*. Erat enim in his sacris etiam dei simulacrum, (*ἱερόν φάσμα*)²⁾. Sed illud quaterre apposite Voigtius meus in Prog. Hal. Reg. Paed. 1844. ad unam maxime thyrsos quatiendi actionem refert, ita ut sit „quatiendo thyrsos celebrare s. colere deum“ (de quo usu Graecis non minus familiari dictum est ad C. I, 15, 15). Nam quaterre thyrsum, sic proprie dictum, Graece est *θύρσον ἀνατινάσσειν, θύρσω χροτεῖν γῆν, κινεῖν θύρσον*, Eurip. Bacch. 80. 188. 240. — Non invitum te quatiā = *οὐκ ἄκοιτος, οὐ πρὸς βίαν σου, ἀνυβρισι βασσαρήσω*“ (vid. ad C. I, 37, 1 et Anacr. fr. 40, 5 sq. Schn.). — De rebus autem quae his versibus difficilimis significantur et de omni extremi carminis ratione pluribus dicere a consilio meo alienum est. Satis est addidisse verba pertinere ad sacra Bacchi trieterica, quibus non initiatum interesse nefas erat (Ovid. M. III, 510 sq., VI, 587 sq.), ad

1) Hesychius et Gramm. Bekkeri p. 222: *Βασσάραν χιτώνες διονυσιακοὶ ποικίλοι, οὓς ἐφόρον αἱ Θράκται Βάκχαι*.

2) Sacrorum autem nomine tam Graeci quam Romani praecipue signa et imagines deorum, omnemque sacram suppellectilem dignari solent, vid. Lobeck. Agl. p. 51. Eademque sacra, quae in initio caerimoniae excitabantur et post in pompa circumferrebantur, quaeque in profanorum conspectum proferre (*τὰ ἱερά δεικνύναι*) aut disturbare (*συνταράττειν*) inexpiabile scelus erat, quoniam nefas putabatur ea ab hominibus non initiatis curiosis oculis contrectari, passim dicebantur etiam *ἄβόητα ἱερά* vel simpliciter *ἀπόβόητα* et *ἐξάγιστα*, vid. Hesych. s. h. v. et Lobeck. Agl. p. 56. Hinc Sophocles explicandus videtur Antig. 1048 et Oed. C. 1523: *ἀ δ' ἐξάγιστα μηδὲ κινεῖται λόγῳ*.

usum cistarum mysticarum, quibus instrumentum sacrum recondebatur — in iisque inerant inter alia variis frondibus involuta δράκων, χοιρὰ καὶ μήκωνες, itemque φάλλος velatus — ad furorem fanaticum, qui Cybeles, Bacchi aliorumque deorum numinibus et excitari et sedari (hinc: saeva tene cet.) credebatur: de quibus omnibus adeundi sunt quum alii, ut Heynius et Bacchius ad Virg. et Ovid. l. c., tum Hermannii Graec. antiquit. sacr. §. 3. §. 32. §. 64. Lobeck. Aglaoph. p. 54 sqq. 271. 285 sq. 294 sq. 619. 639 sq. 698.

Ceterum quum Horatius, Pindarum suum, ut videtur, secutus (vid. Boeckh. ad Nem. VII, 17. p. 421), pro sententiis generalibus exempla ponere consueverit — quo pertinet etiam multorum mythorum usus quibus subtiliora docet interpretatione eruenda, cf. v. 8 —, illud „Non ego quoniam“ perinde dictum esse puta, quasi dixerit: „Nemo omnino debet quaterere“: ut nihil attingat illud quaerere, utrum ipse Horatius sacris Bacchicis initiatus fuerit necne fuerit.

Quod autem Mitscherlichius opinatur, universum hunc locum obscurae aliquid affectationis habere, quod facile exemplum Graecum prodat anxie expressum, id mihi non persuasit. Solet enim Horatius non ita anxie premere vestigia Graeca, praesertim in exitu carminum. De Alcaeo quidem, quem ille putaverat, ne cogitandum quidem erat. Plane alius is homo, quam qui talia praecepta fundere potuerit. Athen. 10, 33. Ἀλκαῖος μεθύων ἔγραψε τὰ ποιήματα.

v. 16. *Arcanique fides prodiga perlucidior vitro*] Redit carminis sententia ad Alcaicum, ut videtur, cuius haec sunt, Fr. 44. Schn.:

Οἶνος γὰρ ἀνθρώποις δίοπτρον

et Fr. 47: Οἶνος, ᾧ φίλε παῖ, καὶ ἀλάθεια: quod ipsum proverbium factum est, v. Provv. Bodl. 751.

Carm. I, 35.

In celeberrimo hoc carmine praeter hymni formam et orationis ornatum Graecis Horatius pauca debet, multo plura Antiatum et Etruscorum veterum artificum operibus. Praeierant enim e Graecis exemplo suo hymni in Fortunam conscripti Pindarus Ol. XII, init. et Fragm. 13 — 16, quae Boeckhii p. 565 peculiari εἰς Τύχην hymno adnumerat, et Aeschylus, vel quisquis praeclari de Fortuna loci auctor est, quem Stobaeus Ecl. phys. I, 7, 13. nobis servavit et ad illum rettulit. Sed iis carminibus nihil aut perpauca fortasse (vid. ad. vs. 6, 10, 17) communia fuisse cum Horatiano, ipsa comparatio docet. Habemus igitur carmen, ut videtur, archetypum et vere Romanum, quo poeta Fortunae Antiatis notionem et imaginem Latinis coloribus describit ac celebrat, et recens a miseria bellorum

bellorum civilium mala deplorat: sed, ut dictum est, multa et dictione et doctrina Graeca exornatum.

v. 2. sqq. *Praesens vel imo tollere de gradu*

Mortale corpus vel superbos

Vertere funeribus triumphos] Sententiam, ut assolet, ab Euripide sumsisse mihi videtur, siquidem illud, quod Plutarchus consol. ad Apollon. 6 a Demetrio Phalereo olim citatum esse testatur, Ino fragm. 23:

Ὡς σμικρὰ τὰ σφάλλοντα, καὶ μὲν ἡμέρα

τὸν μὲν καθεῖλεν ὑπόθεν, τὸν δ' ἦρ' ἄνω,

suis coloribus exornavit, cogitans simul de singulari Pauli Aemilii Macedonici exemplo (Liv. 45, 41). Idem Eurip. in Hel. 520:

Λόγος γὰρ ἔστιν οὐκ ἐμὸς, σοφῶν δ' ἔπος,

Λεινῆς ἀνάγκης οὐδ' ἐν ἰσχύειν πλέον.

Cfr. etiam C. I, 34, 12 sqq. cum eiusdem Eurip. e Telepho fragm. 25:

— — τὰ τοι μέγιστα πολλάκις θεὸς

Ταπεινὸν ἔθηκε καὶ συνέστειλεν πύλιν.

v. 3. *Mortale corpus*] non est Pindari illud βροῦτα σώματα, (Ol. IX, 36. B. de quo v. Orell.), sed potius periphrasis poetica fere haec: φθαρτόν τι χοῦμ' ἄνθρωπος vel ἐξίτηλος ἢ θνητῶν φύσις. Homero sunt βροτοί, οἱ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν (Il. VI, 142 cf. Od. IX, 89), quod ipse Horatius sic reddidit C. II, 14, 10: „Quicumque terrae munere vescimur,“ et ex Graecis quoque multi imitati sunt, ut Simonides Ceus fr. 4, 19. Schn., Phanocles Eleg. fr. 2, 2. Schn., alii. Verte „was sterblich aufwuchs“ vel „des Staubes Söhne“. Vid. Bernh. S. p. 52.

v. 6. *Ruris dominam* (sic iungendum, vid. Bernh. in cens. Orell.) Fortuna enim, teste Pausania VII, 26, saepe cum cornu copiae in veteribus monumentis conspiciebatur, similique commento Τύχη Πλοῦτον παῖδα φέρουσα Thebis colebatur, Paus. IX, 13. Eadem autem est domina aequoris, ad quod Antium situm eius auxilio eget, plane ut Himera apud Pindarum Ol. XII, 3. B: Τὴν γὰρ ἐν πάντω κυβερνῶνται θεοὶ καὶ Νῆες.

v. 9. *profugi Scythae*] Herod. I, 73: Σκυθῶν τῶν νομάδων. Cfr. III, 24, 9.

v. 10. *Urbesque*] Pindaro in Hymno fr. 14. B. Τύχη est φερέπολις s. urbium tutela, itemque Σώτεια Τύχη, Ol. XII, 2. B.

v. 13 sq. *Iniurioso ne pede proruas Stantem columnam*] Quod Interpretes dicunt stantem columnam publicae securitatis stabilitatisque σύμβολον esse, id suo arbitrato statuunt. Videamus igitur, num Graecismus loco difficili certiores lucem asferre possit. Ac primum quidem venit in mentem de singulari

